


G
87
S95G7

UNIV. OF
TORONTO
LIBRARY.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/observationescri00gros



OBSERVATIONES CRITICAE

IN

STRABONIS IBERIAM

SIVE

RERUM GEOGRAPHICARUM

LIBRUM TERTIUM.

SCRIPSIT

CHRISTOPH. THEOPHIL. GROSKURD,

HANNOVERANUS,

PHILOSOPH. DOCT. ART. MAG.

GYMNAS. STRALSUND. COLLEGA.

STRALSUNDIAE,

SUMTIBUS CAROLI LOEFFLERI

MDCCCXIX.

4819
17/8/90
L
G
87
S95G7

LECTORI S.

Τας επιδοσεις ὁρωμεν γινομενας και των τεχνων και των αλλων ἁπαντων, ου δια τους εμμενοντας τοις καθεστωσιν, αλλα δια τους επανορθουντας, και τολμωντας αει τι κινειν των μη καλως εχοντων.

ISOCRAT. in Evagor. c. 2.

Praeclara ista summi oratoris verba libello huic, qui observationes qualescumque criticas in Straboniani operis librum tertium exhibet, ut quasi elogium aliquod et titulum praefigerem, quum libelli indolem atque mentem vel a prima fronte apprime significent, optime convenire visum est. Ipsius vero libelli quaenam origo fuerit (nam in una tantum, eaque e medio opere desumta parte illum versari, for-

tasse aliquis mirabitur), prae ceteris breviter exponam. Scilicet quum Straboniani operis librum tertium, qui ipsam orbis terrarum descriptionem incipit, simulque rerum, quas continet, varietate, gravitate et iucunditate egregie commendatur, usibus studiosae iuventutis seorsum edere constituissem *), ante omnia, ut verba Graeca, omnibus mendis, quantum fieri posset, sublatis, expedite legi et facile intelligi possent, curandum erat. Atqui tot tantisque praeclarum illud opus mendis foedatum e libris veteribus scriptis olim prodiit, ut ne Casauboni quidem cura et doctrina textum ad pristinam integritatem revocaverit. Quo factum est, ut vel nova, quam nostra demum aetate Sieben-

*) Strabonis Iberia, sive Rerum Geographicarum liber tertius. Graecis diligenter emendatis, rerum argumentis praemissis indiceque Graecitatis adiecto iuvenum usibus accommodavit C. Th. Groskurd. Stralsund. 1819.

keesius incepit, editio Strabonis tot mendis residuis scateat, ut eius lectio vel exercitatiori virorum ingenio, multo magis vero imbecilliori adolescentum captui non possit non admodum perplexa esse et salebrosa. Igitur, si quidem consilium meum exsequi vellem, verba Graeca denuo diligentissime excutienda, et permulta, quae interpretes hucusque veluti illuserant aut plane latuerant, menda tollenda esse, facile videbam. In quo quidem negotio neutiquam sufficere videbatur, ut lectionis varietatem e Casauboni commentario et Siebenkeesii aliorumque notulis textui breviter subiicerem, et, ubi codicum auctoritas vel lectionis varietas deficeret, Virorum doctorum aliquot vel etiam meas ipsius qualescumque coniecturas adlinerem; severiore potius corrupti textus perscrutatione et castigatione, atque subtiliore deinde locorum difficiliorum expositione et commoda omnium

vulnerum sanatione opus erat. Hinc factum est, ut in maiorem, quam ab initio exspectaveram, observationes meae excrescerent amplitudinem, et peculiari potius convenirent libello, quam verborum Graecorum appendici. Praeterea, quum non tam interpretis quam critici partes suscepissem, observationes meas multo magis viris doctis et scholarum magistris, quam iuvenum talia parum curantium ingenio et captui convenire arbitrabar. Quare a textu Graeco plane illas separare (nisi quod praefixi observationibus numeri, numeris textui insertis respondentes, ad singula loca Lectorem relegent, sicque utrumque libellum iungant et consocient), maioremque exinde prolixioris, ubi res ferret, disquisitionis et expositionis libertatem mihi parare utilius duxi.

Qua tamen ipsa libertate ne interdum abusus sim, est quod ipse verear; re vera

enim multa brevius expediri, nonnulla omnino omitti potuisse, non equidem negem. Interim quo prolixiorem hancce, quae nonnullos fortasse offendet, ubertatem excusem, non prorsus deest. Ante omnia aequus Lector ipsum, de quo agitur, scriptorem, qualis sit, respiciat. Strabonem enim in veteribus libris scriptis adeo corruptum, et tot tantisque varii generis mendis tam misere foedatum habemus, ut vel inde multo maior, quam in aliis scriptoribus, in illo expoliendo oriatur labor et difficultas. Accedit, quod idem egregius scriptor infelicissimo casu a viris doctis, quasi ipsorum veterum Graecorum et Romanorum in Strabone rite aestumando negligentiam imitarentur, ad nostram usque aetatem adeo neglectus iacuerit, ut, nisi post Xylandri nostri prima tentamina Casaubonus illi fuisset sospitator, pristinarum sordium turpissima

mole inquinatus nostra vidisset tempora, quibus tandem doctissimorum aliquot virorum studia satis bene expolitum Strabonem quasi ad meliorem vitam reducere coeperunt. Interim ne sic quidem rem plane confectam esse, vel ipsae, quas nunc offero, observationes in Strabonis Iberiam satis ostendunt; quae tamen novissimis iisque praestantissimis Coraii et Friedemanni de Strabone expoliendo curis et studiis aut caruerunt, aut parum lucri inde percipere potuerunt.

Quae quum ita essent, textui Casauboniano et Siebenkeesiano veluti pro fundamento adhibito observationes meas superstruxi. Is vero quantam corruptorum locorum copiam, et quam largam de nonnullis disputandi materiam praebuerit, vel ipse observationum numerus aperiet, multarumque amplitudo. Itaque etsi multa eiusmodi sint, ut per se brevitatem ad-

mittant, si quidem a viro doctrina et rerum criticarum peritia dudum insigni tractentur, cuius auctoritas tanta sit, ut ceteri fidem facile habeant, mihi tamen, quippe homini novo atque obscuro, cui nulladum in doctorum coetu parta auctoritas nullaque fides, Strabonis verba emendanda multo plus negotii et facessiverunt et facessere debuerunt. Mihi itaque, ut ad Isocratis verba recurram, omnia movenda et circumspicienda, mendorum vestigia exploranda et commonstranda, superiorum interpretum tentamina diligenter examinanda, saepe quoque refutanda, locorum porro corruptorum et obscurorum sensu enucleato et illustrato verae lectionis vestigia expiscanda, coniecturae denique probabiles proferendae, et, ne inanes hariolationes captasse videar, rationibus idoneis firmandae erant. Haec omnia quum paucis verbis confici plerumque nequeant, haec altera

causa est, quae prolixiorem interdum rerum minutarum tractationem effecit. Quid? quod tertiam adeo causam eam profero, quod unum tantummodo Strabonis librum pertractandum sumserim, ut quasi monographiam, quam dicunt, libellus meus exhibeat (nam a toto Strabone similiter pertractando manum lubenter abstineo), cui liberior interdum evagandi et in solutiores, si animus tulerit, diatribas excurrendi licentia facile conceditur.

His expositis, quid sibi velit hicce libellus, in promtu est. Veluti comitem qualemcumque addo textui Graeco Strabonis, cuius loca obscuriora illustret, corrupta vero vel parum recte hucusque sanata emendare et sanitati reddere studeat, imprimis vero eorum, quae in textu a me mutata sint, rationem reddat, omninoque aliquantulam Straboni expoliendo conferat symbolam. Qua quidem in re ut

multum me praestitisse existimem, tantum abest, ut ipse potius, imbecillitatis meae bene conscius, huic opellae parum pretii tribuam. Quare non semel in eo eram, ut plane illam supprimerem, dummodo per arctam, quae ei cum textu Graeco recte diiudicando intercedit, coniunctionem licuisset. Itaque non sine timiditate quadam tentamen hocce criticum viris doctis trado, quorum humanitatem et indulgentiam, si qua a me peccata invenerint, eo enixius exopto et expeto, quo maior fortasse culpa fuerit, quam contraxero.

Ceterum novissima et praestantissima, quam Coraius et Friedemannus, Viri doctissimi, Straboni impenderunt et impendere pergunt, opera parum uti me potuisse, vehementer doleo. Quatenus tamen usus sim, dicam. Egregia et nitida Coraii editio Graeca, quae a. 1815 Parisiis prodiit, post longam moram

(Lipsiae enim frustra dudum quaesieram) conscripto demum libello ad me perlata est ipsis Parisiis. Ne tamen nihil inde lucri caperem, textum Coraianum cum vulgato et meo diligenter comparavi, omnem lectionis varietatem, quam calci libelli subiungerem, excerpsi, brevemque eiusdem, quatenus breviter fieri poterat, observationibus meis mentionem immiscui. Iam quum in eo essem, ut schedulas meas Lipsiam transmitterem prelo subiiciendas, ecce! versio quoque Gallica (a Dutheilio, Coraio et Gossellino confecta largoque instructa commentario) diu et ipsa exspectata Parisiis ad me venit serius, quam ut eam, exceptis locis admodum paucis, in rem meam convertere possem. Denique maxima schedularum parte iam transmissa, Friedemanni, doctissimi Lycei Wittenbergensis Conrectoris, Commentarium in Strabonis libros tres priores, qui editionis Sieben-

keesio-Tzschuckianae tomus septimus est, vix prelo egressum Lipsia ad me transmissum accepi. Quem librum hoc ipso tempore proditurum esse si divinassem, schedulas meas lubentissime retinuissem, ut ditissima, qua refertus est, supellectile critica ex plerisque veteribus libris scriptis diligenter collecta, rite fruerer. Nam re vera largissimum Strabonis expoliendi thesaurum hunc librum equidem dixerim. Tanto magis doleo, me versus finem demum capitis quarti hoc Friedemanni apparatu uti quidem, sed ita tantum uti potuisse, ut nonnulla observationibus meis dudum exaratis breviter insererem. Falconeri autem editione Strabonis Oxoniensi omnino carui; interim non est, quod admodum doleam, quum ista, ita iudicantibus Coraio in prolegg. ad Strab. σελ. οζ', et Friedemanno in praefat. p. 27, non tam nova Stra-

bonis editio, quam repetitio potius Casaubonianae secundae dicenda sit.

Plura huic libello praefari, etsi non desint, quae haud incommode de Srrabonis textu rite pertractando, deque aliis a re non alienis addantur, lubenter supersedeo, quum ea, quae dixi, Lectori de ipsius libelli ratione instruendo sufficiant.

Correcta

Corrigenda.

Pag. 6 lin. 6 leg. camque. p. 7 l. 27 floribus. p. 23 l. 31 De. p. 30 l. 30 sonum ut. l. 34 Sed. p. 45 l. 13 ναυπηγια. p. 52 l. 32 cuniculis. p. 57 l. 3 et. p. 70 l. 25 utriusque membri. p. 73 l. 10 praemiserimus. p. 99 l. 2 leg. 119. p. 100 l. 23 Suidam. p. 103 l. 15 habeo. p. 103 l. 19 Salacia. p. 104 l. 4 ὕδατος. l. 7 leg. 154. l. 16 p. 152 in marginem transfer. l. 22 Stroz. l. 23 Kopperi. l. 24 Aldina. p. 105 l. 31 refingemus. p. 107 l. 3 in. p. 109 l. 4 sita delendum est. l. 23 dextante. l. 26 insulas. l. 28 fuisse, scribit. p. 110 l. 3 ευ. l. 6 incolas. l. 7 Metello. l. 31 πολιν, deinde. p. 111 l. 3 mirum. p. 112 l. 16 et del. est. l. 40 quaeritur, uter. p. 113 l. 3 Orsia. p. 114 l. 2 ad (sine puncto). l. 20 septentrionalem. p. 115 l. 6 quas. l. 11 τῃ Ιβηριᾳ. p. 116 l. 39 linguae. p. 117 l. 39 Naebis. p. 118 l. 10 Λυσιτανιᾳ. p. 119 l. 33 excipit. p. 120 l. 13 Αυο, Celandus non Appiani, sed Melae sunt. l. 31 errat. l. 33 Sil. p. 121 l. 3 affirmat. l. 1 Λιμεον. l. 11 Stroziano. l. 19 citra. p. 122 l. 13 ἀσπιδιῳ. l. 27 figura. p. 123 l. 32 contundendis. p. 124 l. 17 memoratu. l. 36 utique. p. 125 l. 30 quem. p. 126 l. 22 illa. p. 127 l. 21 minus,. l. 22 deformatum. l. 27 Bardyetas. l. 34 voluisse,. p. 128 l. 37 δε. p. 129 l. 22 mutatio. l. 24 δε ουσης. p. 130 l. 11. Delrium. l. 23 videatur),. l. 35 hos. l. 38 sed,. p. 131 l. 9 ceterorum. l. 31 Orospedae. p. 133 l. 35 στρατιωτικον. p. 134 l. 17 Aldina. p. 137 l. 5 ed. Seidel. l. 21 nec non. l. 34 ostia, et. p. 138 l. 17 Λεητανους. p. 139 l. 38 Avienus. p. 140 l. 28 Μασσαισυλιοι. l. 38 Plerosque. l. 39 opinioni. l. 40 fuisse,. p. 141 l. 17 elicere. p. 143 l. 18 Φοινικικαὶ. l. 19 Mosc. l. 27 νηυς. l. 35 Fest. l. 38 Graecanicae. p. 145 l. 26 Opsicellae. l. 30 λεγουσιν. p. 146 l. 10 Αιθιοψι. l. 15 Αιθιοπων.

l. 25 Ἑσπ. p. 147 l. 14 finxerit. l. 35 memoratae. p. 148 l. 22 110),. p. 149 l. 29 Vulgo:. l. 32 iunctum. p. 150 l. 17 μεγαλας. p. 151 l. 4 quonam. l. 21 praepropere,. p. 152 l. 36 Καρχηδονι. p. 153 l. 39 intervalla. p. 154 l. 24 nova." p. 157 l. 15 αγκυροβ. p. 158 l. 35 Mel. p. 159 l. 18 finxisse. p. 161 l. 14 Rhodanum." p. 162 l. 6 soboles." p. 164 l. 17 Hispanis. l. 38 Poenis. p. 165 l. 3 Λευκαια. p. 168 l. 3 ακαρπος. l. 6 exscribenti. l. 36 mutilus." p. 169 l. 17 Iunquera. l. 19 Μαραθωνος. l. 21 indicat. l. 22 innuens. l. 27 Φοιν. l. 28 καλουμ. l. 34 μαραθρον. p. 170 l. 6 μαραθρων. l. 12 Μαραθ. l. 28 Μαραθωνος. p. 171 l. 22 belli." p. 172 l. 16 ἁλ. l. 74 Casaubono:. p. 173 l. 16 χειμωνος. l. 35 velis. p. 174 l. 25 appellat." p. 175 l. 15 post parenthesin dele punctum. p. 176 l. 7 commodissime. p. 177 l. 1 haec. l. 22 Gerh. p. 178 l. 33 retinuerunt. p. 179 l. 2 Fontarabia. l. 26 habet:. l. 34 Strabonis. l. 40 Gruter. p. 180 l. 35 fecisse,. p. 180 l. 37 esse. p. 181 l. 31 Strabonem,. p. 182 l. 2 petasones. l. 3 fuerunt. l. 27 corruptam. l. 29 fide. l. 33 interpretibus. p. 184 l. 6 pars aspera. l. 26 praefat. p. 185 l. 22 Δουριος. l. 34 Νομαντιαν. p. 187 l. 19 Lacetaniam. l. 20 Llobregat. p. 189 l. 5 Titthis. p. 190 l. 19 πως,. l. 29 redundat. l. 36 per c. p. 191 l. 9 iota. p. 199 l. 7 Casaub. p. 201 l. 14 post nequit ponatur punctum. l. 20 copula. p. 202 l. 31 μειζον. p. 207 l. 17 ulterius. p. 213 l. 25 Πυρηνης. p. 218 l. 19 Phoenices. p. 219 l. 13 ni-. p. 222 l. 36 dele punctum post restituerunt. p. 223 l. 15 οξυσχοινος. p. 224 l. ult. Ἑρμης. p. 232 l. 1 pinguissima. p. 235 l. 5 Geographus.

Not. Inde a pag. 100 usque ad pag. 192 plagularum emendatio non a me ipso curata est; quare ingens ibi erratorum agmen remansit, cuius culpam ne quis mihi, quaeso, imputet.

Gr.

OBSERVATIONES CRITICAE

IN

STRABONIS IBERIAM.

CAPUT PRIMUM.

§. 1.

1. *το δε στενωτατον του πλατους* —

Verba haec quum faciant apodosin ad superiora, nequaquam ferri poterit particula *δε*, quae omnes, quos inspexi, editos occupavit. Igitur eam delevi; idem Coraius fecit. Post *Ιβηριας* colon quoque mutandum in distinctionem minorem. Pag. 137. edit. Cas. sec.

2. *στενωτερον του ισθμου ποιουντας παρα το Ιβηρικον.*

Satis diversam horum verborum interpretes dederunt explicationem; quare paulo accuratius illa excutere operae pretium erit, fortasse mendum quoque in illis deprehendemus. De sinubus istis loquitur Geographus, qui et inde a mari Interno et ab Oceano Pyrenen versus Iberiae et Galliae isthmum coarctant. Maiores vero dicit sinus Gallicos; qua re effici ait, ut Galliae pars occidentalis magis etiam coarctetur et angustior fiat, quam Iberiae pars orientalis. Id quidem etsi re vera vix ita est, magis tamen Straboni ita esse videbatur, qui oram Gal-

liae septemtrionalem a Pyrene angulo obtuso Rhenum versus ducebat, ita ut Galliae isthmus, boream versus paulo excavatus, angustior fieret, quam re vera est. Vid. Strabo lib. II. p 120. Cas. cf. Mannert. Geogr. Graec. et Rom. I. p. 117 edit. secundae. Ex sua igitur sententia ambos sinus Gallicos, quorum saepius meminit (ut lib. II, p. 122. Cas. et p. 128. III, p. 166. c. 4, §. 19. IV, p. 181. c. 1. §. 6, p. 190. c. 2. §. 1.), Ibericis maiores recte appellat; atqui sinus Gallici si maiores sunt, isthmum Gallicum tanto magis coarctant et angustiorem reddunt, *στενωτερον τον ιστθμον ποιουσι παρα το Ιβηρικόν*, sc. *μερος* s. *πλευρον*. Sed in his ultimis haesere interpretes. Vetus Strabonis interpres Latinus, quem Guarinum Veronensem fuisse affirmant (vid. praefat. Siebenkeesii p. 36 et Coraii proleg. *σελ. οή*), et qui, quum ex libro manu scripto satis diu ante vulgatam editionem Strabonis principem Aldinam suam interpretationem contexuerit, codicis auctoritatem habet, is igitur ita vertit: angustiorem ad Hispanum pelagus tellurem habentes; quasi legerit *παρα το Ιβηρικον πελαγος*. Ad huius itaque mentem verba ista *παρα το Ιβηρικον* sc. *μερος* significant latus Hispanicum, et valent *εις το Ιβηρικον μερος* sive *εν τῳ Ιβηρικῳ μερει*. Longe aliter bonus Xylander, qui a. 1571 novam eamque tertiam Straboniani operis editionem satis probabilem, adiuncta simul nova interpretatione Latina, paravit, verba ista accepit, ita vertens: Sinus tamen Gallici maiores sunt, et eorum quam Hispaniae isthmus angustior. Is igitur, et recte ita quidem, legisse videtur *παρα τον Ιβηρικον* sc. *ιστθμον*. Praeterea, in quo rei cardo versatur, praepositionem *παρα* recte ita accepit, ut comparationi inserviat et dicta sit pro *ἤ* (prae, quam), quae significatio *του παρα* non admodum rara Graecis est. Ipse Strabo saepius ita loquitur, e. gr. infra p. 143 Cas. c. 2. §. 4.: *επιδοσιν σφοδροτεραν παρα τας εν τοις αλλοις τοποις*, i e. incrementa vehementiora prae iis, quae sunt alibi. Thucyd. I. c. 23: *ἡλιου εκλειψεις πυκνοτεραι παρα τα — μνημονευομενα*, frequentiores, quam quae alias traduntur. Xenoph. Fragm. Epist. I, 2.: *παρ᾽ όντινουν*, prae quovis alio. Similiter Dionys. Halic. Ant. lib. VI.: *ανηρ παρ᾽ όντινα ουν επιτηδειος*, vir prae quovis alio idoneus. Aristot. Metaph. lib. I.: *νηφων εφανη παρ᾽ εικη λεγοντας τους προτερον*,

prae antiquioribus. Plato de Leg. lib. VII.: *παρα γυναικας δε ταυτας ανδρες αν αἱ εκεινων γυναικες φανειεν*, prae his mulieribus. Dio Cass. lib. XLVI. extr. *ειρηνικωτερα παρα τας αλλας εδοκει ειναι*, pacatior prae ceteris. Sic nostro etiam loco *παρα το Ιβηρικον* non explicandum est cum Guarino in latere Iberico, sed prae latere Iberico. Hactenus igitur vulgatum illud *το Ιβηρικον* ferri certe potest; multo tamen aptius legi *παρα τον Ιβηρικον* sc. *ισϑμον*, ut isthmus Gallicus angustior dicatur quam Ibericus isthmus, nemo non videt.

Nihilo minus non vidit Casaubonus, qui cum re ipsa, quippe ad veritatis amussim, non ad Strabonis mentem exacta, tum alio quodam Strabonis loco (lib. II. p. 128. Cas. cf. lib. IV. p. 188. c. 1. §. 14.), qui utrique isthmo eandem fere latitudinem (scil. plus duobus millibus, minus autem tribus millibus stadiorum) tribuere sibi videtur, tum vero Plinii quodam loco (IV, 34. 20.), Ibericum isthmum potius esse angustiorem probante, his omnibus, inquam, se decipi passus, interpretationem Xylandrinam ideoque emendatiorem, quam commendavi, lectionem (*τον*) falsam esse iudicat. Sed, ut brevissime refellam Casauboni errorem, de ipsa rei veritate nunc non agitur; deinde, locus iste Strabonis, ad quem provocat, bene is quidem habet, sed minime contradicit huic nostro, in quo versamur; nam inter duo et tria millia stadiorum tanta est differentia, ut isthmus Gallicus nihilo secius Iberico angustior dici queat; denique Plinii, quippe omnino in geographicis satis incerti, testimonium nullum est; nam isthmum Ibericum Gallico angustiorem esse, veritati repugnat, quum utriusque latitudo fere aequalis sit.

Quae quum ita sint, interpretationem Xylandrinam verissimam iudico, et lectionem *παρα τον Ιβηρικον*, quippe interpretationi isti longe aptiorem, haud cunctanter vulgatae praefero. — Et ecce! his dudum scriptis, Coraium quoque, cuius felicissimo in rebus criticis ingenio innumera Strabonis loca hucusque corrupta sanitatem suam acceptam referunt, ita legere nunc non sine voluptate quadam video.

3. ἣν καλουσι Νέριον.

Antiquiores editi, ut Bas. Hopperi, nec non Guarinus interpres, pro Nerio promontorio exhibent Ἱερνην ακραν, quae lectio quasi lusu librariorum, literas transponentium, nata se ipsa abunde condemnat. Quid enim, quaeso, hoc loco sibi vult Jernes insulae nomen? Perfacile itaque fuit Xylandro, veram lectionem reponere vel ex ipso Geographo, qui infra p. 153 Cas. c. 3. §. 4. ita scribit: Ὑστατοι δ᾽ οικουσιν Αρταβροι περι την ακραν, ἣ καλειται Νέριον. Miror tamen, silentio praeterire Casaubonum, quid in suis ipse repererit codicibus. Quidquid fuerit, Italici saltem codices, a Siebenkeesio, novissimo Strabonis inter nostrates editore, collati nihil variare, sed veram dare lectionem videntur, quum ea a Siebenkeesio, praeeunte Casaubono, tacite recepta sit. Ceterum gravius aliquod malum huic loco subesse non metuendum erat Casaubono; totus enim locus nil nisi Iberiae fines et latera ad quatuor coeli plagas breviter adumbrat, neque quidquam amplius desideramus. Periodus itaque in semet ipsa ita bene consummata est, ut nusquam lacunae ne vestigium quidem expiscari queamus. Praeterea Jernam fluvium, quem in eodem tractu Casaubonus ex Mela profert, equidem apud Melam frustra quaero.

§. 2.

4. Αυτο δε το ακρον και προπεπτωκος —

Delenda est particula και, quum id, quod in mare procurrere dicitur, nihil aliud esse queat, quam ipsum promontorium. Interim vulgatam servat Coraius, quod miror.

p. 138 5. Ἡρακλεους ϑ᾽ ἱερον ενταυϑα δεικνυσϑαι· ψευσασϑαι δε τουτο Εφορον· ουτε γαρ Ἡρακλεους βωμον —

i. e. Herculis quoque fanum ibi monstrari (ait Artemidorus): sed figmentum hoc esse Ephori; neque enim Herculis aram ibi esse, cet. Primum illud ϑ᾽ ante

ἱερον, quo nexus turbatur, mutandum in δ'. Deinde vero, nisi contradicentem sibimet ipsi Artemidorum habere malimus, gravius mendum huic loco subesse concedendum est. Herculis templum in Sacro promontorio monstrari, Ephorus dixerat. Id expressis verbis Artemidorus negat, simulque, unde ortum sit istud mendacii, subiicit. Atqui quod deinde Artemidorus negat, id antea affirmare non potuit. Quare, ante δεικνυσθαι negationem excidisse, quis non videt? Nam, uti diximus, Artemidorus negat. Nihilo minus non vidit Siebenkeesius, neque probat Casauboni emendationem, legentis ου δεικνυσθαι. Scilicet fraudem fecerunt, quae sequuntur: figmentum *vero* hoc esse Ephori; ubi coniunctio adversativa negationem in praecedentibus admittere non videbatur. Sed ψευσασθαι δε dictum est pro αλλα ψευσασθαι, i. e. sed finxisse potius illud Ephorum. Abesse quoque potest illud δε, sine detrimento. Quin, si abesset, sine negatione uno membro bene legeretur: Ἡρακλεους δ' ἱερον ενταυθα δεικνυσθαι, ψευσασθαι τουτο Εφορον; quod satis placeret, nisi expressa negatio aptior videretur. Iam igitur totus locus nihil habebit, quod Lectorem teneat, si ita legatur: Ἡρακλεους δ' ἱερον ενταυθα ου δεικνυσθαι, ψευσασθαι δε τουτο Εφορον· ουτε γαρ cet. Neque aliter Coraius, nisi quod pro ου dedit μη; minus recte, ni fallor. Vid. Buttmann. Grammat. Gr. §. 135, d. Ceterum in edit. Sieb. typorum, puto, vitio perperam legitur Ἡρακλειους. Ephorus vero, vel is, quem sequebatur, promontorium Sacrum et templum Herculis cum promontorio et templo Iunonis confudisse videtur. Cf. obs. crit. nr. 254, ubi similis notatur aberratio.

6. ουτ' αλλο τι των θεων ειναι —

Guarinus, vetus Strabonis interpres, ita vertit: nec aram illic Herculis, nec deorum cuipiam" quasi legerit ουτ' αλλου των θεων, quam lectionem etiam Gronovio placuisse video. Re vera ita scriptum invenit Siebenkeesius in tribus codd. Italicis, Bemb. Medic. Stroz. nec non in Reg. Parisiensi, ex quo hanc lectionem Coraius (mutato των in του, i. e. τινος) recepit. Xylander quoque et Penzelius, veterem interpretem sequentes, idem ex-

primunt, vulgatam suam non curantes. Fateor quidem, Herculi ceteros deos aeque commode opponi, quam arae aliud quippiam diis sacratum; nihilo minus vulgatam lectionem, quam plurimi libri scripti tueri videntur, quamque et ipsam bene ferri nemo ibit inficias, reiicere dubitavi, tamque textui servandam esse censui. Nam praeter aram templum quoque, statua Dei, nemus sacrum et alia divini cultus monumenta (αλλο τι των θεων) olim adesse potuere. Ceterum coniectura Siebenkeesii, pro θεῶν reponentis θειῶν (saltem θείων) bene supersedere possumus.

7. *οὓς — στρεφεσθαι κατα τι πατριον, και μεταφερεσθαι ψευδοποιησαμενων.*

De ternis quaternisve Strabo refert lapidibus, quasi ad altaris instar compositis, quos eo venientes homines convertant more patrio et transferri fingant. Haec ita obscure dicta sunt, ut locus neutiquam videatur sanus. Converti quidem vel disiici lapides, id satis bene intelligo; scilicet ne arae, in hoc monte illicitae, figuram efficiant, neve suspicionem peracti sacrificii excitent. Sed μεταφερεσθαι nonne idem valet ac στρεφεσθαι? Cur igitur bis dicitur idem? Solennem potius quendam morem patrium illis verbis innui, admodum videtur probabile; quem habebimus, si cum Xylandro pro στρεφεσθαι legerimus στεφεσθαι. Aras, statuas lapidesque sacros floribus ornare et unguentis delibuere, mos erat pervulgatus veterum, notusque vel ex Apul. Florid. I. c. 1.: Ara floribus redimita, lapis unguine delibutus. Quidni apud barbaras etiam gentes in usu fuerit? Igitur sciolus quidam isque admodum indoctus librarius στρεφεσθαι scripsisse videtur, a sequente μεταφερεσθαι, quod idem est, deceptus. Quum tamen libri scripti, quantum equidem sciam, nihil varient, vitium illud iam antiquissimo Strabonis exemplari inhaesisse statuendum est, ex quo deinde omnes, qui adhuc supersunt, codices originem duxerunt.

Multo magis in mendo cubat vox ψευδοποιησαμενων, in qua et ipsa omnes scripti conveniunt. Prior interpres quidem ita vertit: quos advenae advolvunt, eos ita mi-

grasse mentientes. At μεταφερεσθαι non significat sua sponte migrare, sed loco moveri et transferri; ut taceam, mendacio adeo manifesto neminem fidem habuisse. Praeterea vocis ψευδοποιεισθαι forma media admodum suspecta est, neque agnoscunt eam lexica. Quid? quod ne activam quidem habent Steph. Thes. et Scapula. Hac tamen utitur Polyb. XII, 25 et XXX, 4., ita tamen, ut significet mendacii coarguere. In Clementis Alex. Paedag. III, c. 4. legimus ψευδοποιειν τας γυναικας, i. e. mulierculas mentiendo decipere atque corrumpere. Nusquam igitur mentiri significat. Quo facilius inducor, ut Schneidero adstipuler cum Gronovio proponenti ευχοποιησαμενων, adorantium. Quae vox et ipsa si cui veterum scriptorum auctoritate destituta videatur (in lexicis enim frustra quaesivi), is mecum legat ευχας ποιησαμενων. Siebenkeesii quoque ratio ferenda saltem videtur: ους – στεφεσθαι – και μεταφερεσθαι· ευχοποιειν μεν (vel μονον), θυειν δ᾽ ουκ ειναι νομιμον. Nunc vero felicissimam Coraii emendationem omnibus istis praefero et in textum recipio; is enim, quasi Strabonis αυτογραφον inspexerit, praecellente divinandi dote donatus, dedit σπονδοποιησαμενων, i. e. facta libatione; de qua voce et Athenaeo usitata adi Stephani Thesaurum.

His ita expositis, loci sensus est: Homines sacrum promontorium conscendentes lapides, quorum plures passim coacervati iacent (ut in montium superficie solent), floribus redimiunt, deinde libatione facta additisque precibus loco movent et disiiciunt, ne ibi aram composuisse et victimam sacrificasse videantur; nam το θυειν ουκ εστι νομιμον. Sacrificia vero solis precibus cum libatione non raro opponi constat, ut in Heliodori Aethiop. X. p. 469: θυσιας των ζωων κεκωλυσθαι, ... ευχων αρκουμενων. Ceterum de religione huius loci nonnulla, etsi diversa, tradit Iustinus XLIV. c. 3.

8. ειτ᾽ επιβαλλειν ἡμερας —

Επιβαλλειν h. l. dictum est, si quidem lectio certa, pro προσιεναι, προσερχεσθαι, cursum dirigere, accedere, appropinquare, igitur h. l. conscendere, cuius notionis exemplum habemus vel in Hom. Od. O, 295.: ἡ δε (ναυς)

Φερας επεβαλλεν, navis cursum Pheras dirigebat. Persimile illud Polybianum est: προσβαλλειν προς την οφρυν, conscendere tumulum, X. c. 30. III, 94. X, 39. Ipsum etiam επιβαλλειν Polybio valet progredi, proficisci, adire, ut II. c. 22 et XII. c. 10.: αυτος επιβαλων εις τους Λοκρους, ipse Locros adiit; et V, 18.: επεβαλε τοις λοφοις, colles adsecutus est. Verumtamen magna me subit suspicio, Nostrum scripsisse επιβαινειν, ut paulo supra επιβαινειν του τοπου, et infra bis: μηδενα νυκτωρ επιβαινειν: — ουδεις αν επιβαινοι. Nam de eadem re loquentes iisdem verbis uti solemus. Interim vulgatam, quum et communi librorum auctoritate nitatur, et sensum, quem locus poscit, commode fundat, servandam censeo.

§. 3.

9. μειζω δυνειν τον ἡλιον εν τῃ παρωκεανιτιδι μετα ψοφου —

Duo quum sint, quae ex Artemidoro refert Posidonius, maiorem scilicet ibi occidere solem, simulque edere strepitum, quorum illud conceditur, hoc negatur; alterum ab altero luculentius distinguendum erat Auctori, scribendumque και μετα ψοφου, quam copulam recte exprimunt interpretes, neque textui inserere dubitavi. Et Coraius inseruit. Ceterum de sole stridente cf. Orph. Argon. 1120. Auson. ad Paulin. 19. Flor. II, 17. Tac. Germ. c. 45. Iuvenal. Sat. XIV, v. 280. Statius in genethliaco Lucani. Addatur Chandlers Reise in Kleinasien, p. 5.

10. Ψευδος δ' ειναι και το παραχρημα —

Iterum paucula excidere. Nondum enim Auctor dixit το σιζειν του πελαγους ψευδος ειναι; nihilo minus, quasi iam dixisset, etiam hoc vanum esse affirmat, quod statim ab occasu noctem insequi aiant. Straboni itaque, si quidem accurate cogitata sua exprimere vellet, scribendum erat: ψευδος δ' ειναι και τουτο, και το παραχρημα cet. Vocularum similitudo negligentem decepit librarium. Neque aliter Coraium dedisse nunc video.

11. ἐκ του παραφωτισμου· —

Notetur haec phrasis, parum recte a Schneidero explicata; alias enim occurrere eam non memini. Significat repercussionem fracti luminis ex obliquo, nobis Strahlenbrechung, Wiederschein des Lichts von der Seite. In libris Casaub. et Venet. legitur περιφωτισμου, (quod et Guarinus habuisse videtur) quasi luminis circumfusio, quae minus convenit. Simillima dictio occurrit Strab. II, p. 75 Cas. παραυγαζεσθαι το φως του ἡλιου, solis lumen in aëre fractum (sc. crepusculi et diluculi tempore) a latere lucere. Cf. Schneid. in παραυγαζεσθαι. Eadem res exponitur etiam II, p. 135 Cas. ubi tamen verbum illud sensu passivo usurpatur.

12. πλειον μεν — ; et paulo infra: ὡς δι' αυλων —

Imo πλειω μεν sc. χρονον, ut paulo ante. De eadem re iisdem verbis utitur. Dudum suspectum mihi fuit το πλειον; igitur post Coraium correxi. — Αυλοι, si lectio certa, fistulae s. tubi inanes sunt, quos visum adiuvare constat. Eosdem vero imagines maiores reddere, falsum est, et ex errore quodam Posidonii dictum, ut bene Schneiderus exposuit ad Eclog. phys. II, p. 273. Nec minus falsum, in fistula inani luminis radios frangi. Unde igitur duplex iste error, isque satis ineptus, in peritissimo harum rerum Posidonio? Quare magis arridet Schneidero facilis et ingeniosa emendatio Vossii ad Mel. I. c. 18. p. 654, legentis δι' ὑάλων, per crystallum vel vitrum sive per pilas vitreas, quippe quae aqua repletae rerum imagines amplificant; qua de re egregie disputantem Senecam legimus in Quaest. natur. I. c. 6. Coraius vero pro δι' αυλων dedit διαυγῶν, i. e. vaporum pellucidorum, quod et ipsum satis bene conveniret, nisi Vossianum illud palmam praeripuisset. Nam propterea, quod vapores forte pellucidi fuerint, non sequitur, lumen in iis frangi. Quare equidem cum Schneidero Vossianam emendationem unice veram existimo, textuique vindico.

§. 4.

13. ἣν Κελτοὶ νέμονται τὸ πλέον, —

p. 139 Probanda utique est Casauboni coniectura, legendum hic esse Κελτικοί, ad quam lectionem manu scripti libri, quibus ipse usus est, nec non Stroz. apud Sieb. prope accedunt, qui exhibent Κελτιοι. Nec deest ipsius Strabonis auctoritas, qui infra p. 153 Cas. c. 3. §. 4., de iisdem Celticis eorumque cognatis ad Nerium promontorium habitantibus loquens, Celticorum nomine utitur: περιοικοῦσι δ' αὐτὴν Κελτικοί. Similiter p. 151. c. 2. §. 14.: τοῖς Τουρδετανοῖς καὶ τοῖς Κελτικοῖς δὲ (ex Polybio), et paulo post: ἐν τοῖς Κελτικοῖς Παξαυγοῦστα; sic, ni fallor, saepius, ut c. 2. §. 1., ubi vid. obs. crit. nr. 26. Neque aliter Ptolemaeus lib. II. c. 4 et 5. eosdem Celticos vocat. Etiam Plin. III, 3. 1.: Celticos, qui Lusitaniam attingunt, Hispalensis conventus; — — Celticos a Celtiberis ex Lusitania advenisse manifestum est. Scilicet ut a Celtis proprie dictis, Galliarum incolis, facilius distinguerentur Celtae Iberici, qui ab istis originem traxerant, indiderunt his veteres derivatum Celticorum nomen. Celtici enim proprie sunt a Celtis oriundi. In hoc igitur nomine sibi constitisse Geographum quum vix dubitari possit, pro Celtis Celticos textui reddidi. Idem Coraium fecisse nunc video.

14. οἱ μὲν τοὺς αὐτοὺς νομίζοντες, —

Vulgo legitur νομίζουσι; at sic minus bene iunguntur haec verba praecedentibus. Quare olim Casaubonus voluit aut οὓς οἱ μὲν - νομίζουσι (quod Schweighaus. recepit in Polybio suo, XXXIV. c. 9.), aut οἱ μὲν νομίζοντες; quam lectionem, Reg. Parisiensis et Venet. codicum auctoritate firmatam, iure recepere et Siebenkeesius et Coraius; quare et ego ita dedi.

15. οὐδὲ γὰρ γλώττῃ ἰδίᾳ.

Haec verba, ab omnibus quidem editoribus hucusque servata, commodo sensu plane destituta sunt. Quid enim, quaeso, istud rei est: Reliqui Hispani ne propria

quidem lingua utuntur? Si vel maxime lingua aliunde adscita uterentur, nihilo minus grammatica uti poterant, et re vera utebantur. Neque id agit Geographus, ut Ibericorum populorum linguam aliunde adscitam et peregrinam esse doceat, sed potius, non unius esse originis et formae; quo factum esse, ut etiam eorum grammatica diversae formae sit et indolis; ait enim: Χρωνται γραμματικη, ου μια ιδεα. Hunc verum loci sensum esse, orationis series aperte docet, neque alium exprimunt Latini interpretes, quorum Prior vertit: neque una illis lingua est; Xylander vero: quippe ne eodem quidem sermone utuntur. Similiter Penzelius. Huc facit etiam Artemidori fragmentum, a Constantino servatum, de Administ. Imperii, c. 23. (vid. Voss. ad Mel. II, 6. p. 741), quod Iberos maritimos Romanorum grammatica (adeoque lingua) usos esse docet; Γραμματικη δε χρωνται τη των Ιταλων οἱ παρα θαλατταν οικουντες των Ιβηρων. Consentit ipse Strabo infra p. 151 Cas. c. 2. §. 14. Igitur alii Iberorum populi alia utebantur lingua.

Sed quorsum plura? Ipsi veteres libri Casauboni, nec non tres Italici (Bemb. Stroz. Venet.), veram lectionem ουδε γαρ γλωττη μια luculenter exhibent. Igitur pellamus vulgatam, quae sensum pessime turbat, et soli supinorum librariorum antecedens ιδεα hic male repetentium incuriae debetur. Coraius quoque dedit μια.

16. προς νοτον δε απο των εκβολων μεχρι της παραλιας της του Ανα, μεχρι Στηλων.

Viros doctos hunc locum, cui plures inhaerent mendae, praetermisisse plane intactum, admodum miror. Tria sunt, quae moneam. Primum verba απο των εκβολων requirunt nomen fluminis, cuius ostia intelligantur. Anae, inquies, ostia Auctor dicit, cuius paulo ante meminerat. Bene quidem mones; sed tamen, si accurate rem declarare vellet, dicendum erat απο των εκβολων του Ανα. Nam, quod Anae ante meminerat, inde non sequitur, hic quoque de Ana utique esse cogitandum. Sed hoc sane levius. Dein vero quaenam est ἡ παραλια του Ανα, ora maritima Anae? Terrarum oras non a fluminibus ibi effundentibus, sed a maribus, quibus adia-

cent, denominamus. Praeterea ora Anae eodem iure occasum versus intelligi potest, quo versus orientem; ista vero huc nil adtinet. Itaque scripsisse Strabonem arbitror της του Ωκεανου. Somnolentus quidam scriba Anam de loco suo huc transtulisse, simili vocis ωκεΑΝΟΥ exitu deceptus, videtur; quo facto vel ipse vel alius deinde superiore loco Anam delebat. Denique quod Baetica ab ostiis Anae usque ad oram Anae (vel potius Oceani), usque ad Columnas tendere dicitur, id vero sensu prorsus caret. Non ora Oceani (multo minus Anae) terminus est, ad quem Baetica versus meridiem porrigitur, sed Columnae. Per oram potius porrigitur ad Columnas. Igitur legendum esse κατα της παραλιας, ecquis dubitet? Ne quis tamen hanc praepositionis κατα significationem in dubium vocet, plura a Stephano in Thesauro allata exempla sunt, quae praepositionem κατα, etiam genitivo iunctam, Latinorum per, iuxta, in, nostrum an, auf, längs, exprimere docent, quorum aliqua apponam. Odyss. Z, 102.: Οἵη δ᾽ Αρτεμις εισι κατ᾽ ουρεος ιοχεαιρα, i. e. per montem. Apud Aristophanem legitur κατα της τραπεζης κατασπασας, per mensam trahens. Apud Lucam, Act. c. 9. v. 31 et 42.: καθ᾽ ὅλης της Ιουδαιας, et καθ᾽ ὅλης της Ιοππης, per totam Iudaeam et Ioppen. Pari ratione ipsius Nostri verba, quae infra p. 145 Cas. c. 2. §. 7. leguntur: κατα της θαλασσης omnes fere interpretes (licet ibi pessime) vertunt ad s. iuxta mare, de quo loco mox monebimus. Quodsi cui his exemplis iste praepositionis usus non satis firmari atque probari visus fuerit, is quarto casu legat κατα την παραλιαν. Quodcumque demum placuerit, loci sensum hunc esse, quem indicavi, luce clarius est. Neque alium, textum adversantem nihil curans, Xylander expressit, ita vertens: meridiem versus ab ostio Anae in ora maritima usque ad Columnas. Sic quoque Penzelius, Xylandri fidus interpres. Quae quum ita sint, Graeca Auctoris verba ad hunc modum erunt adornanda: προς νοτον δε απο των εκβολων του Ανα κατα της παραλιας (s. την παραλιαν) της του Ωκεανου μεχρι Στηλων. Ita Ptolemaeus quoque, II. c. 4., egregie cum Nostro concinit, qui australe Baeticae latus post ostia Anae fluvii in exteriori pelago Oceano et freto Herculeo ter-

minari scribit. Quin ipse Strabo, paulo infra p. 141 Cas. init. c. 2. §. 1., eosdem fere Baeticae terminos ab oriente versus occidentem repetens, post Calpen et Gades memoratas: και ἡ ἑξης, ait, θαλαττα μεχρι Ανα. — Ceterum Coraium h. l. non offensum esse demiror; is enim vulg. lect. servat, nisi quod cum vetere Interprete copulam και inserit ante verba μεχρι Στηλων. Sed scire equidem cupio, quomodo locum expedierit.

§. 5.

17. Καλπη πολις — p. 140

En! iterum locum vexatissimum, etsi in solo urbis nomine res versetur. Casaubonus legi vult Καρτηΐα πολις, sibique adstipulantem habet Bochartum, Chan. c. 34. p. 615. Nam Carteiam, ait, hic intelligi et res ipsa docet, et ex eo colligi potest, quod saepius eam infra nominans, nihil tamen de eius situ alibi dixisse reperitur. Carteiam autem esse vicinam τη Καλπη monti, ex Mela, Plinio, Ptolemaeo aliisque satis constat. At Calpen urbem nemini veterum ne nominatam quidem reperio."

Profecto Carteiam urbem Geographum intelligere, certissimum est. Omnia, quae de Calpe sua affert, id satis aperte produnt, neque mirari desinerem, si antiquam hancce et nobilem urbem silentio praeterisset. Nihilo minus Calpes nomen, in quo omnes manu exarati libri conspirant, pro librariorum peccato habendum et in Carteiam merito mutandum esse, tantum abest ut concedam, ut enixissime potius repugnem. Codicum quidem auctoritati, licet et ipsi sane haud negligendae, ut minimum h. l. tribuamus, sat multis tamen indiciis, aliunde petitis, probabile fit, Carteiam urbem haud raro Calpen quoque, quin et Calpiam esse vocitatam, cuius rei causa in monte cognomine facile reperitur, urbi isti adeo vicino, ut eius nomen in urbem quoque, a Graecis inprimis remotiorum harum terrarum parum peritis, interdum integrum transferretur, interdum novo nomini inde derivando (Καλπια, Καλπεια sc. πολις, quasi urbs Calpensis sive Calpetana) ansam daret. Quid? quod

utrumque nomen, quasi unum sit, nonnumquam composuisse videntur veteres, cuius rei exemplum habemus in Antonini Itin. p. 406 ed. Wess. ubi iunctim legitur Calpecarteia, si quidem hic locus, quod Casaubonus callide negat, sanus est. Porro in Nicol. Damasceno de institut. Augusti, in excerptis Vales. p. 207 (482) legitur: *αφικετο δ' εις Ιβηριαν προς Καισαρα περι πολιν Καλπιαν*, i. e. ad urbem Calpiam, sive, quod idem est, Calpen. Tum vetus exstat Christinae Reginae numus (vid. Spanhem. de praest. et usu num. c. 9. p. 766) ita inscriptus: C. I. Calpe, i. e. Colonia Iulia Calpe. Hunc quidem numum valde suspectum esse Mannertus affirmat I, p. 307, sed quo iure id affirmet, non magis liquet, quam quod Strabonem in nomine scribendo errasse contendit. Igitur Nicolaum quoque similiter errasse dicemus? Freinshemius quidem ad Flor. IV. c. 2. id velle videtur, dum Nicolao Carteiam obtrudit; sed quaenam, quaeso, haec est ratio, omnia, in quibus forte offendas, pro lubitu ita immutandi? Iam ex Pausania quoque locum afferam, qui pro Carteia Calpiae nomen exhibet. Is lib. VI. s. Eliac. p. 196, 20. ita scribit: *εισι δ' οἱ Καρπιαν Ιβηρων πολιν καλεισθαι νομιζουσι τα αρχαιοτερα Ταρτησσον.* Carteiam intelligit, neque dubito, *Καρπιαν* librariorum errori deberi et reponendum esse *Καλπιαν*; alii volunt *Καρτηΐαν* (Thom. de Pinedo ad Steph. Byz. p. 639), sed hi, vereor, ne ipsum Pausaniam potius, quam textum emendent. Denique Stephanus quoque Byzantinus testis erit, qui v. *Καρπηΐα: ειρηται εν τῳ Καλπαι*, ait, *ὁτι τινες Καρπειαν την πολιν φασι*, quo loco, ut in modo dicto Pausaniae, *Καλπειαν* esse reponendam, dudum Pinedo recte monuit; in *Καλπαι* enim sic eam vocavit. Quamvis non intelligat Stephanus Calpen, quae eadem est cum Carteia, sed aliam quandam, Carpetanorum caput dictam Livio XXI, 5., ubi pro Carteia Carpeiam reponere cum Holstenio (Not. in Steph. p. 162) non dubitaverim. Stephanus igitur, licet utramque pessime confundat, Calpiae tamen nomen agnoscit.

His ita expositis, Carteiam haud raro Calpen et Calpiam veteribus vocari, quis ibit inficias? Nisi forte diversa fuisse ista oppida dixeris. Nonnullos ita statuere video, ut Spanhem. et Wessel. locis citatis, etsi argu-

menta, quibus sententiam suam fulciant, nulla allata reperio, neque ab Holstenio quidem, qui in Notis in Steph. Byz. p. 162 et ipse ita statuit. Gosselinus quoque hanc sententiam amplexus est. Alii, inter quos Mannertus noster I. p. 307, incerti fluctuant. Interim si vel maxime Calpen a Carteia diversam fuisse concesserimus, quod tamen, donec argumentis probatum fuerit, negabo, Strabonis locus nihilo minus intactus manebit. Tunc enim Strabo, forte ipso auctore, quo utebatur, ductus, utrumque oppidum confudisse et pro Carteia Calpen scripsisse dicendus esset; Carteiam enim ab eo designari, uti diximus, omnia arguunt. Quare locum nostrum infeliciter sollicitavit Casaubonus, multosque merito sibi contradicentes nactus est, adstipulantem vero, quantum scio, praeter Bochartum neminem. Contradixerunt Henr. Noris Cenotaph. Pisan. p. 207. Spanhem. de pr. et usu num. l. c. Wesseling. ad Antonini Itin. l. c. Etiam Valesius in Not. ad Excerpta Damasceni p. 72; Holstenius in Not. in Steph. Byz. l. c. neque minus ipsi Hispani, quos Penzel. laudat in notis p. 606, Nonius in descript. Hispan. c. 10.; Ambros. Morales XII, 68., qui omnes, ni fallor, Calpen a Carteia diversam censent.

Stet igitur sententia, Strabonis textum non esse mutandum, quippe Calpen ei eandem esse cum Carteia; fecisse tamen melius, si, ut infra saepius, scripsisset Carteiam, quod absque dubio fecisset, nisi Graecum auctorem, quo utebatur (Timosthenem, puto, ex quo plura de Calpe subiicit), et in quo Calpen legebat, sequi maluisset. Addere itaque debebat: *ἣν οἱ πλειονες Καρτηΐαν ονομαζουσι*, aut simile aliquid, quo addito mirum quantum nos sibi fuisset devincturus. Ceterum ne quis me solum sententiam istam, quae Carteiam Calpen quoque appellari statuit, amplecti putet, aliquot saltem Nomina afferam, quorum idoneam in hac re auctoritatem mecum stantem habeo, ut Vossium in Obs. ad Mel. II. c. 6. p. 755; Cellarium in descript. orb. ant. I. p. 90; Mentellium in Hispan. vet. p. 215 vers. german; et Heerenium nostrum in: Ideen, I. p. 667; quibus accedere Coraius videtur, qui et ipse in contextu vulgatam Calpen merito servavit.

18. *Ζελης της Τιγγος αστυγειτων,* —

Pro *Ζελης* rectius cum Casaubono legimus *Ζηλις*, quod ipse Strabo confirmat lib. XVII. p. 827. Cas. c. 3. § 6., vel saltem *Ζελις* cum Sieb. et Cor. ex nonnullis scriptis libris Italicis et Regio. Ptolemaeo IV, 1. et Melae III, 1. Zilia audit, Plinio V, 1. et Antonino Zilis; vetus inscript. in Thes. Goltz. est: Col. Constantia Zili Augusta. Hodie Arzilla.

Τίγγος autem, vel *Τιγγὸς* in edd. Cas. et Alm. nil nisi officinarum lapsus est pro *Τίγγιος*, quod dudum recte habuit edit. Bas. Hopperi. Nam *ἡ Τίγγις* facit genitivum *της Τίγγιος*, ut paulo post hoc ipso loco legitur. Paulo ante vero *εμπορία* (*ἡ*) non meret, quae loco pellatur, ut a Coraio, forte antecedente plurali commoto, factum video, qui reposuit *εμπορεῖα* (*τα*) i. e. forum nundinarium s. nundinae. Ipsa potius mercatura ipsaeque merces, quae Belone Tingin transvehuntur, melius conveniunt; nam fora et nundinae non transvehuntur, quare *την εμπορίαν* tueor. Si tamen opus foret, mallem (*τα*) *εμπόρια*, ut habet Bas. Hopp.

19. *Ιουλιαν Ιοζαν* —

Verum et genuinum hocce oppidi nomen, quippe voce Punica Ioza Romanorum Transductae ad unguem respondente, contra Salmasii (Exercitt. Plin. p. 289) temere illud impugnantis opinionem defendimus. Hic enim, quid Ioza sonet nesciens, *Τρανσδοκταν* Straboni obtrudere non dubitat. Huius *Ιουλιας Ιοζας*, ait, nemo meminit veterum, nec Ioza quid sit scio, quum Latinum nomen debeat esse. Iuliam Transductam Strabo intelligit, atque reponendum: *Ιουλιαν Τρανσδοκταν.*" Neque minus temere alios Salmasio adsentire, ex Bocharto, Chan. c. 24. p. 477 addisco. At vir magnus egregie fallitur; nam nomen Punicum est, idem valens, quod Transducta.

Scilicet Iozam Punice sonare Transductam, optime Bochartus l. c. docuit. Hebraeorum enim יצאה iozah, Phoenicum vero Syrorumque גוזה gosah, significat egressa, transducta. Romani itaque hanc coloniam Trans-

ductam, ipsi vero coloni, utpote Poeni, Punica voce Iozam appellaverunt. Romana autem appellatio magis increbruit, quam barbara ista; quo factum esse puto, ut nemo veterum scriptorum huius meminerit praeter Strabonem, qui eam ex Timosthene vel Artemidoro vel Asclepiade desumsisse videtur. Iuliam Transductam vero s. Traductam plures scriptores memorant, ut Ptol II, 4., inter Mellariam et Carteiam in Bastulis; Marcian. Peripl. p. 70, ubi ita legitur: *απο Καρτηΐας εις Βαρβησολα σταδια ρ΄, απο δε Βαρβησολων εις Τρανσδουκτα σταδια ου πλειον* (leg. *πλειω* vel *πλειονα*), *απο δε Τρανσδουκτων εις Μενλαριαν* (forte *Μελλαριαν*) *σταδια ου πλειον ριέ.* Ambo tamen, quod obiter moneo, in eo peccant, quod Barbesola inter Carteiam et Transductam collocant, quum tamen a Carteia versus orientem ad oram maris Interni sita fuerint; cf. Mannert. I. p. 308. Eandem Transductam sive Iozam Mela, II, 6., ita pluribus circumscribit: et quam transvecti ex Africa Phoenices (Poeni) habitant. Numi quoque (v. Patinus in Sueton. p. 115) sunt Augusti, et Caii Luciique Caesarum ita inscripti: Iul. Trad. Ex quo apparet, oppidum illud, si non a Iul. Caesare, certe ab Augusto Imperatore in Hispaniae oram traductum esse. Qua vero ex causa traductum sit, id silent veteres. Interim Zelitani et Tingitani Baeticam olim inhabitasse, postea vero, illuc ut reducerentur, ipsi cupiisse videntur; nec absona est Mannerti suspicio, oriundos fuisse ab istis Poenis, qui primum ab Hannibale in Iberiam deducti, postea vero a Lusitanis bello lacessiti leguntur apud Appian. Iber. c. 56. Eosdem, quos Blastophoenices Appianus vocat, pulsos Mauretaniae oram repetiisse admodum credibile est.

Ceterum, ne longus fiam, duplicem Plinii errorem breviter tantum notabo, qui lib. V. c. 1.: Tingi, ait, postea a Claudio Caesare, quum coloniam faceret, appellatum Traducta Iulia." Sed neque Tingi fuit Iulia Traducta, neque colonia a Claudio Caesare eo deducta. Quare dudum merito contradixerunt Salmas. in Solin. p. 289; Bochart. Chan. I. c. 24.; Voss. ad Mel. II, 6. p. 754; Mannert. I. p. 303. Harduinus vero, quicquid dicat (Not. et Emendat. ad Plin. l. c.), Plinium suum defendere frustra operam dat. Neque enim Strabo, qui

2

sub Augusto et Tiberio vixit, meminisse rei potest Claudio imperante gestae; neque Ptolemaeus, Marcianus et Ravennas Geographus Iuliam Traductam Hispaniae tribuerent, si ibi non fuisset. Quid? quod etiam Gregorius Turonensis Traductam urbem Hispanam agnoscit, dum lib. II. ita scribit: Prosequentibus Alamannis usque ad Traductam, transito mari Vandali per totam Africam et Mauritaniam sunt dispersi.

Denique Iulia Ioza s. Traducta, ut ex locorum serie apud veteres Geographos apparet, hodierna est Tarifa, ibi sita, ubi fretum maxime coarctatum est; quare inde frequentissimus in Africam transitus. Series locorum iuxta fretum a Strabone memoratorum occasum versus haec est: Calpe mons, Calpe urbs sive Carteia, Iulia Ioza sive Traducta, Mellaria, Belon.

20. *ουθεν διαφερουσα* —

Ουθεν in omnibus, qui ad manum sunt, libris editis reperi, neque hucusque dubitavi, quin merum esset sphalma primi typographi per omnes editt. propagatum. Nunc vero etiam a Coraio servatum video; is igitur ita legi vult. Perrara quidem haec forma *ουθεις* et *ουθεν* apud unum alterumve interdum occurrat licet, equidem in Strabone tamen, in quo me illam legere non memini, tamquam peccatum librarii vel manu vel typo errantis deleo, donec iterum invenero.

§. 6.

21. *και τας επ᾽ αυτης πολεις.*

Ita omnes editi, et scripti plerique. Igitur *επ᾽ αυτης* sc. *μεσογαιας* dictum est pro *εν αυτῃ*, ut intelligantur oppida in terra interiori sita Ferri quidem lectio potest, etsi *αἱ πολεις επι της μεσογαιας* nonnihil insoliti habeant. Accedit, quod infra c. 2. §. 4. de eadem re loquens *εις τας εν τῃ μεσογαιᾳ πολεις* dixerit Geographus. Quare alteram lectionem, quam ex codd. Reg. Stroz. Vat. B. et Epitome Siebenkeesius protulit, vulgatae cum Coraio praefero. Illi habent *επ᾽ αυταις* sc. *αναχυσεσι*, i. e. oppida

ad anachyses sita, quae ipsa huic loco optime conveniunt, quorumque uberior fiet mentio c. 2. §. 5. — Paulo supra vulgo legitur *αναχυσις και αναβρασις*, i. e. effusio et aestuarium. Utrumque verbum idem valet, nec alibi me coniunctim illud legere memini. Quo magis Coraii arridet emendatio: *και Νάβρισσαν*, quam dudum vetus Interpres ex cod. suo expressit, qui habet ad Astam et Nabrasin, nomine paululum deformato. Nabrissa s. Nebrissa oppidum (nunc Lebrixa) ad aestuarium Astense situm infra quoque cum Asta coniungitur, c. 2. §. 5. Etiam in numis Nabrissa vocatur. Quare in servanda vulgata lectione fortasse nimis religiosus fui.

22. *απο των στοματων*, —

Imo *ὑπο των στοματων*. Nam ostia Baetis causa efficiens sunt, per quam (*ὑφ᾽ ἡς*) insula ista exsistat, non autem obiectum, a quo (*αφ᾽ οὑ*) desumta sit. Quare et Coraium ita emendasse video. Saepissime *απο* et *ὑπο* a librariis confunduntur, ut hoc ipso libro c. 2. §. 7. *απο της αλεας* pro *ὑπο τ. α.* et c. 4. §. 1. p. 156 Cas. ubi vulgo legitur *απο Βαστητανων* pro *ὑπο* B. Et lib. XIV. p. 650. c. 1. §. 44. *απαληλιμμενοι* pro *ὑπαληλιμμενοι* vel *επαλ.*

23. *ὁ του Καπιωνος πυργος*, —

Capionis turrim quis capiet? Nihilo minus omnes, quantum equidem scio, libri et manu et typis exarati ita legunt, nisi quod Casauboni aliquot, deterius etiam, *Απιωνος* exhibent. Vetus quoque interpres, Xylander et Penzelius nil aliud quam Capionem exprimunt. A Q. Servilio Caepione Consule, qui a. u. c. 612. Praetor Hispaniae Lusitanos Viriatho interfecto debellavit, turrim istam exstructam fuisse, testis est Mela, III. c. 1. ubi: in ipso mari, ait, monimentum Caepionis, scopulo magis quam insulae impositum." Nam licet ne hic quidem lectio satis certa sit, nonnullis libris editis Geryonis (forte ex Avieni or. marit. v. 263. illatum), uno vero codice (Wernsdorf ad Avieni l. c.) Scipionis exhibentibus, Caepionis tamen opus illud fuisse probabile est; neque dubitant Voss. obs. in Mel. l. c. et Mannert. I.

p. 293. Nam de Geryone merae nugae sunt. Quare Καιπιωνος Strabonem scripsisse cum Vossio arbitror, ut lib. IV. p. 188 Cas. c. 1. §. 13. Καιπιῶνος et Καιπιωνα, licet de alio Caepione superioris filio, famoso Galliae praetore, ibi agatur, recte legitur.

Nihilo minus ne sic quidem omni res exemta dubio est. Primum ex Iornandis Orig. Get. locum Vossius excitat, in quo Scipionis opus turris nostra dicitur. Iornandes, quem circa a. 550 floruisse notum est, haud longe a principio: Quamvis nonnulli, ait, et illa gemina Galliciae et Lusitaniae promuntoria in Oceani insulis ponant, in quorum uno templum Herculis, in alio monumentum adhuc conspicitur Scipionis" Turrim nostram Iornandem intelligere, etsi in Lusitaniae promontorio perperam collocet, apertum est. Deinde in ipso litore, ubi Pharus ista olim fuit, etiamnum castrum s. oppidum situm est, quod veterem appellationem retinens Chipiona dicitur. Atqui hoc nomen non tam a Caepione, quam a Scipione potius derivandum videtur. Tum unus certe Melae codex, forsan plures, Scipionem habet. Accedit, quod haec duo nomina, Caepionis inquam et Scipionis, in veteribus et Graecorum et Romanorum scriptis saepissime commutentur, qua de re praeter alios Schweighauserus monuit ad Appian. Iber. c. 70. Tom. III. p. 293, nec non Wesseling. ad Diodor. Tom. II. p. 524. Commutata etiam Lector inveniet in Strab. lib. IV. l. c. ubi pro Caepione quatuor libri Scipionem pessime exhibent. Quae quum ita sint, si quis Strabonis Καπιωνος in Σκιπιωνος s. Σκηπιωνος mutare maluerit, ego quidem, quod opponam, vix habeo, praeter auctoritatem Pomponii et ipsum Καπιωνος Strabonis, quod ad Καιπιωνος proxime accedere quisque concedet. Igitur Caepionis turris dicatur, donec Scipionis dicendam esse, sat idoneis argumentis demonstratum fuerit. Neque aliter Coraius indicare videtur.

Praeterea aliud, licet levioris momenti, huic loco mendum inhaeret. Scilicet post πυργος, culpa syllabae finalis, excidit pronomen ὃς, quo revocato oratio evadet concinnior. Nam ibi locorum duo esse Auctor affirmat, et Menesthei oraculum et Caepionis turrim, quae ex-

structa sit in rupe marina etc. Emendationi meae fidem addit Coraius.

24. *ὥστε δει σημειον* —

Bene stat haec lectio, nec quicquam libri variant. Coraius tamen praeeunte Guarino dedit: *ὥστ᾽ ἔδει*, parum recte, si quid video. Attendat Lector, quae antecedunt, verba: *βραχεα ποιεῖ*, non *εποίει*, et *χοιραδωδης εστιν*, non vero *ην*. Igitur quod olim opus fuerat signum, idem erat Strabonis aevo, qui recte dicit *ὥστε δεῖ*.

Paulo post *Λουκεμδουβίαν*, quod omnes editos obtinet, in duas voces divisi *Λοῦκεμ δουβίαν*, Lucem dubiam. Strabo enim, licet Romanorum linguae parum peritus fuisse videatur, cuius rei plura sunt indicia, duas tamen istas voces pro una habere vix potuit. Ceterum nova est observatio, Romanos ita vocasse Phosphorum sive Luciferum, quod in Romanis scriptoribus nondum reperi. Praeterea Luciferum sive stellam Veneris cum Diana Lucifera et Hecate Lucifera (de qua Pausan. lib. IV. c. 31. p. 358, et Aristoph. Thesmophor. v. 858, Lysistr. v. 443; Cic. Nat. Deor. II. c. 27.), vel etiam cum Diana Lucina confundere videtur. Non enim *τον*, sed *την Φωσφορον* appellat.

CAPUT SECUNDUM.

§. 1.

25. ἡν ὁ Βαιτις διαιρει —

p. 141 Certissima est Casauboni emendatio διαῤῥει; neque aliter habet Epitome. Sic paulo supra c. 1. §. 4. de eodem Baeti: ἡν ὁ Βαιτις διαῤῥει ποταμος. Eundem errorem multis locis deprehendimus. Recte infra c. 3. §. 3.: ἡ χωρα ποταμοις διαῤῥειται. Interim et διαιρειν interdum recte de fluvio dicitur, ut lib. XIV. p. 649 Cas. διαιρεῖ αυτην χαραδρα.

26. και ἡ εξω του Ανα (sc. χωρα), και οἱ πολλοι των προσχωρων.

Vulgatam hanc omnium fere librorum lectionem hactenus mutavere Siebenkeesius et Coraius, ut e duobus libris, Mediceo et Reg. Parisiensi, reposuerint και οἱ εξω. Quid inde lucremur, non assequor; imo paulo deteriorem hanc lectionem praedico; nunc enim, quinam sint hi homines trans Anam, addendum potissimum erat. Bastetanos fortasse intelliges, iis, quos ante nominavit, oppositos; sed trans Anam nulli Bastetani umquam fuerunt. Nec minus tamen vulgata offendit, quae inter populos terram aliquam subito interserit. Igitur totum locum: και οἱ Βαστιτανοι δε — — των προσχωρων non modo languere, sed et obscuritate quadam et inconcinnitate laborare, fatendum est; nam illos trans Anam et multos finitimos populos Turditaniae adiacere, parum accurate et satis obscure additur; ut taceam insolentiam illius οἱ πολλοι, quod alias plerosque vel hominum vulgus

significans, hic pro simplici πολλοι dictum invenitur. Quare articulum Guarino omissum et a Coraio obelo notatum video. Itaque locum in mendo cubare, persuasum habeo; ante omnia nomen populi trans Anam incolentis desidero. Ita forte corrigi posse olim putabam: και οἱ εξω του Ανα Λυσιτανοι, και αλλοι των προσχωρων; nam Lusitanos, quorum nomen ob vocum praecedentium similitudinem excidere potuit, trans Tagum a Romanis transductos supra c. 1. §. 4. et apud Appianum, Iber. c. 57. legimus; sed quum sint, quae opponi possint, coniecturae isti nunc ipse parum tribuo. Quo magis hac mihi placeo correctione: και οἱ εξω του Ανα Κελτικοι, πολλοι τε (vel αλλοι τε) των προσχωρων. De Celticis hisce trans Anam incolentibus vid. Strab. III. c. 1. §. 4. c. 3. §. 4. c. 2. § 14., et obs. crit. nr. 13. Hi Celtici, inquam, maximam partem trans Anam habitabant; bene itaque οἱ εξω του Ανα Κελτικοι; minor vero pars cis Anam Baeticae regiones Caurum versas obtinebat, quorum caput Conistorgis erat, c. 2. §. 2. extr. p 141 Cas. nec non Pax Augusta s. Pax Iulia, c. 2. §. 14. Cf. Mannert. I. p. 288, 326, 330. Ceterum voculae και οἱ quasi reliquiae sunt omissi Celticorum nominis. Penzelius locum in versione omisit, sive solito more, sive, quia ab aliena manu insertum putabat; quod ne credam, inter alia obstat illud οὓς ειπον, quod a glossatoris more alienum est. Praeterea locus, qualem dedi correctiorem, languorem, obscuritatem et inconcinnitatem non male deposuit, dum Auctor finitimos Turdetaniae versus boream, quos antea omiserat, paulo diligentius declarat.

27. ἡ Βαιτις ὑπερεχει, —

De colonia quadam, quam ex veteranis suis iuxta Hispalim, cui ob acerrimum Pompeianarum partium studium infestus erat (Dio Cass. XLIII. c. 39), Iulius Caesar deduxit, Strabo loquitur, simulque Baetim eam nominat. Sed huius oppidi nusquam fit mentio. Praeterea Stephanus Byz. de Baeti fluvio loquens, non videtur Casaubono taciturus fuisse oppidi nomen, si illud in Strabone legisset. Quare Vir magnus oppidi nomen inpugnat. Sed argumentis a silentio petitis parum tribui solet.

Porro Stephani silentium quam parum valeat, nemo non videt. Quasi is omnia ex uno Strabone desumserit, neque quicquam debuerit omittere! Igitur non est, quod lectionem, quam omnes libri et scripti et typis exarati, nec non vetus interpres, tuentur, mendosam esse credamus. Videtur potius oppidum istud a Caesare fundatum, Augusti aetate, Hispali urbi et coloniae dignitatem et alia honoris favorisque documenta concedentis, cum metropoli sua coaluisse et amisisse proprium nomen a Caesare inditum. Haec est probabilis Mannerti sententia in Geogr. ant. I. p. 313. Alio tamen nomine, Ibericae forsan originis, memorari videtur in Plin. lib. III. c. 3. 1.: ex adverso (Hispalis urbis) oppidum Osset, quod cognominatur Iulia Constantia." Interim si quis hoc a Baeti oppido diversum fuisse maluerit, nil habeo quod opponam; nam unde tot unius oppiduli nomina? Ceterum Baetin Strabonis defendit etiam Rod. Carus in Antiq. Hispal. III. c. 35., citatus a Wessel ad Antonin. p. 411. Penzelius contra textu eiecit, et ita vertit, quasi legerit πασων εν τη Βαιτικη, quo facto totus locus de sola Hispali loqueretur. Non displicere fateor hanc emendationem, si Baetim oppidum reiicere necesse sit.

Sed de Baeti colonia quicquid statuerimus, in emendando nomine infelicissime versatus, et ab Stephano suo egregie decipi se passus est Casaubonus. Scilicet quum in Stephano ita legatur: Βαικυλα, πολις Ιβηριας προς ταις Ἡρακλειαις στηλαις, Casaubonus, consentiente Berkelio ad Byzantinum v. Βαικυλα, hoc Baecula oppidum pro Baeti Auctori nostro ingerere conatur. At vero Baecula (τα Βαικυλα) in ipsis Baeticae et citerioris Hispaniae confiniis ultra Castulonem situm, a loco Strabonis alienissimum est. Polyb. X. c. 38.: εν τοις περι Κασταλωνα τοποις, περι Βαικυλα πολιν, ου μακραν απο των αργυρειων μεταλλων. Idem lib XI. c. 20.: Εγγισας δε τῳ Κασταλωνι και τοις περι Βαικυλα τοποις. Cf. Liv. XXVII. c 18 et 20., XXVIII. c. 13., quamquam ibi pro Baecula complures codices et vett. edd. habeant Betulam. Igitur in situ oppidi constituendo valde aberrat Stephanus, forte cum alia urbe, cui simile nomen fuit, hanc confundens (ut Schweighauseri verba ad Polyb. X, l. c. mea faciam) vel ex auctore quodam illa verba depromens, qui ab Ibero flumine, aut

a citeriore Hispania, versus fretum Herculeum sitam Baecula urbem dixerat.

Sed ecce! novo deprehendimus errore Casaubonum. Dum varia nomina, quibus apud alios scriptores idem oppidum designatum videatur, colligit, infeliciter incidit in Hirtii Obuculam (bell. Alex. c. 57.), quae Ptolemaeo II. c. 4 est Οβουκολα, Appiano Iber. c. 68. Οβολκολα, Plinio III c. 3. 1. Obulcula. At hoc oppidum, Cordubam inter et Hispalim situm, a Baecula et confiniis utriusque provinciae mirum quantum distat. Sed iterum fraudi fuit falsa Stephani designatio, cui accedit utriusque nominis similitudo. Cum Βαιτυκη potius Appiani, Iber. c. 23., et cum Betula s. Baetula Livii, ll. citt. comparandum nomen erat, de quo vide, si lubet, Schweighaus. ad Appian. l. c. pag. 233. T. III. Neque Bocharti errorem praeteribo, qui in Chan. c. 34. Baecula Polybii Liviique Obulcum esse Ptolemaei (Obulconem Strabonis et Plinii, diversam ab Obulcula vel Obucula) autumat. Baecula oppidum, solis historiarum scriptoribus memoratum, in bellis Punicis interiisse videtur; quo fit, ut postea a Geographis praetermissum, molesta nobis facessat negotia.

§. 2.

28. *Αστηνας δ' απωτερω,* —

Astenas oppidum nusquam fuit, neque dubium est, esse quod alii vocant Astigi sive Astygis, ut Mel. II. c. 6. Ptol. II. c. 4. Plinio, III. c. 3. 1. est Colonia Astigitana prope Singulin flumen; hodie Ecija. Itaque corruptum vulgatae lectionis nomen corrigendum esse eo minus dubitavi, quum ipsi aliquot codices Casauboni et Reg. apud Sieb. cum Epitome exhibeant Αστινας vel Αστινα, pro quo cum Casaubono saltem reponendum erit Αστιγα; nam ita interdum harum barbararum vocum rectum efferre Strabo solet, ut ἡ Τιγα pro Τιγγι, lib. XVI. p. 827 Cas. c. 3. §. 6. Sed vulgatae lectioni pressius inhaerens servata finali, Αστίγις scribere malui. Coraius Αστιγα dedit.

29. Ετι δε εν αἷς —

Male olim legebatur εστι δε εν αἷς. Sed verissimam Casauboni coniecturam merito in textum recepere Siebenkeesius et Coraius, duobus libris scriptis addicentibus, Reg. et Vat. B.

30. Απετουα, —

Apetuam omnes editi habent cum interprete priori, forte ex errore edit. Aldinae principis. Nam codices omnes cum Epitome exhibere Ατετουα, testantur Cas. et Sieb. Sed ne hoc quidem verum oppidi nomen est. Ateguam Hirtii in b. Hisp. saepius memoratam, sive Atteguam Dionis XLIII. c. 33 et 34., et Plinii III. c. 3. 1. indicari, satis apertum est. Etiam Valerio Maximo, IX. c. 2. 4. incolae Atteguenses vocantur. Quare quin Ατέγουα vel Αττέγουα potius (nam duplex τ facile contrahebatur in π) Strabo scriptum reliquerit, quis dubitabit? Αιγουα vero, quae sequitur, ab Hirtii Ategua diversa est, quod moneo propter Casaubonum. Porro Τοῦκις an Τοῦκκις, ut duo scripti habent, scribas, idem est. Ptolemaeo Τοῦκι, Plinio Tucci; Inscript. Gruter. p. 323. nr. 12.: Coloniae Aug. Gemellae Tuccitanae. Appianus in Iber. c. 68. anticipando Gemellam vocat.

31. Ιουλια, —

Iuliae, ut Augustae, sat multae fuerunt urbes Iberiae. Nullam tamen simpliciter ita, et quasi κατ᾽ εξοχην, vocari memini. Coloniis plerumque illud cognomen additum est, a Caesare et Augusto conditis vel amplificatis, ita tamen, ut antiquius oppidi nomen servaretur, vel aliud nomen, quo quasi cognomento distinguerentur, Iuliae et Augustae iungeretur. Sic Osset cognominatur Iulia Constantia, Astigis Augusta Firma, Augusta Emerita, Tucci Augusta Gemella, Illiturgi Forum Iulium, Iulia Traducta sive Ioza, Zilis Iulia Constantia, Itucci Virtus Iulia, Attubi Claritas Iulia, Iulia Myrtilis, Iulia Libyca, et quae id genus apud Geographos plura occurrunt. Neque Straboni hic mos, plures Iulias ita distinguendi, alienus est, ut supra in Iulia Ioza vidimus;

quare neque hanc dedit nudam Iuliam. Nuda vero, ut est, suspicionem movet. Quaenam igitur nuda haec erit Iulia? An, quam Plinius, III, 3. 1. conventui Cordubensi accenset, Iulia Fidentia? Nihil est, quod, quin credam, obstet. Ptolemaeus quoque, II. c. 4., prope Cordubam habet Iuliam, simpliciter ita dictam; sed ibi, ut ex Cellarii nota ad bell. Alex. c. 61., et Harduini ad Plin. l. c. colligo, alii scripti et editi Uliam potius exhibent, quod verum et antiquum oppidi nomen est. Scilicet Ulia oppidum fuit prope Cordubam, ex Auctore de bello Alex. c. 61., de bello Hispan. c. 3., c. 4 cet. nec non ex Dione XLIII. c. 31. et Antonini Itin. p. 412 satis notum. Etiam inscriptio in Thes. Gruter. p. 271, nr. 1.: Ordo Reip. Uliensium, et numi apud Spanhem. de usu et pr. numism. Dissert. IX. p. 766 et 901, in quibus Ulia legitur, nominis veritatem satis testantur. Hanc igitur cum Strabonis Iulia eandem esse, plures viri docti affirmant, ut Harduin. ad Plin. l. c. Reimar. ad Dion. l. c. Mentell. in Hispan. vet. p. 204, qui adeo Iuliae nomen librariorum errori tribuit. Mannertus tamen (qua de causa, nescio) diversas esse arbitratur, I. p. 323. Utrumvis statuas, Uliam intelligere Strabonem, vix ullum superest dubium; quae si cum Iulia Fidentia eadem Straboni fuerit, non tamen simpliciter Iulia vocanda erat. Quare omnino non Ιουλιαν sed Ουλιαν potius eum scripsisse, sicque etiam in Ptolemaeo rectius legi, cum Mentellio persuasum habeo. Iulia librariis originem debet, qui Uliam ignorantes Iuliam quandam procreare maluerunt. Ceterum Ulia, quae in Hispaniensi bello intemeratam Caesari fidem servaverat (unde nomen Iuliae Fidentiae inditum putant), hic, ubi plura oppida nominantur, quae aliquam isto bello famam nacta sunt, non erat Straboni praetereunda silentio.

32. *διεχει δε Καρτηϊας ἡ Μουνδα σταδιους χιλιους και τετρακοσιους,* —

Ita in editis nunc legitur ex Xylandri correctione, quum Aldina et Bas. Hopperi habeant *ἑξ χιλιους σταδιους.* Dudum Guarinus in margine notavit, non esse debere sex millia. Summo ergo iure numerum Xylander

minuit, voculam ἐξ expungendo. Primum enim Graeci non ita loquuntur pro ἑξακισχίλιοι, quod et ipsum in nonnullis codd. Casauboni, nec non in Stroz. et Veneto apud Sieb. reperitur. Deinde quum totius Hispaniae longitudo non excedat sex millia stadiorum (Strab. III, init.), qui potuit tantumdem esse inter Mundam et Carteiam? Itaque vel puerum latere non potest, numerum foede esse depravatum. Sed Xylandrinam emendationem, quam Casaubonus temere probat, et editi hucusque retinuerunt, cave veram putes, quum numerum non satis minuerit. Nam Strabonem, qui alias intervalla locorum Iberiae satis accurate indicat, in distantia Mundae a Carteia adeo errasse, ut vel triplo maiorem faceret, quis credat? Nec difficilis est computatio, quum utriusque oppidi situs satis constet. Vera Carteiae a Munda distantia, quam quaevis tabula geographica ostendit, undecim vel ad summum duodecim milliaria geographica excedere nequit. Atqui undecim milliaria cum dimidio aequant stadia quadringenta et sexaginta. Igitur ἑξήκοντα καὶ τετρακοσίους genuinam Strabonis scripturam fuisse, vel iureiurando affirmare ausim. Ex voce ἑξήκοντα, forte parum luculenter scripta, somnolentus quidam scriba creavit ἑξχιλίους, quod alius deinde corrigens mutavit in ἑξακισχιλίους.

Haec scripseram, quum edit. Almelovenianae inspiciendae mihi data est facultas. Egregie laetatus sum, quum in notis eandem Palmerii coniecturam invenirem. „Erratum est, ait Vir doctissimus, in numero. Nam hodiernus Mundae situs, parum distans a Mallaga versus occidentem, non patitur τὸ χιλίους verum esse. Veteres libri plerique exhibent ἐξ χιλίους vel ἑξακισχιλίους, quod deformatum fuit e vero numero ἑξήκοντα, qui numerus satis quadraret cum hodierno situ." Eundem numerum nunc etiam Coraius recepit.

Ceterum, quod Mundam inter vicina Cordubae loca Strabo recenset, parum accurate loquitur, neque severe exigenda haec vicinitas. Re vera enim Munda tantum distat a Corduba, ut vix vel potius nullo modo huic vicina dici queat. Xylandri causa, nec non Casauboni, hoc monendum erat, qui ista vicininate decepti

de sinceritate numeri χιλιους non dubitant. Testem insuper facit Xylander Auctorem belli Hispan. c. 32, qui tradit Cordubam a Carteia (ideoque Mundam a Carteia) abesse millibus passuum CLXX. Ea faciunt stadia MCCCLX, quae summa ad Strabonis numerum optime quadrare illi videtur. Optime, inquam, quadraret, dummodo Munda prope Cordubam sita fuisset. Iam vero, quum haec mirum quantum distet ab illa, omnis Xylandri disputatio non minus falsa est, quam lectio χιλιους, quam defendit.

33. ὑπο των Αντωνιου στρατηγων, —

Pro στρατηγων antiquiores editi ante Casaub. habent στρατιωτων; minus recte. Nam a Titio et Furnio, Antonii legatis, Sext. Pompeius a. 719 captus et Mileti interfectus est. Itaque στρατηγων, quam veterem lectionem appellat Casaubonus, quamque Epitome habet et prior Interpres, merito textui erat restituendum.

Paulo ante μικρον εν Ιβηρσι πολεμησας χρονον an recte legatur, nescio Scilicet plenum biennium Sextus in Iberia, praecipue in Lacetanorum sive Iaccetanorum terra vagatus (cf. infra c. 4. §. 11.) bella denuo excitavit Caesari. Igitur biennium μικρος χρονος est? Imo μακρος rectius diceretur. Sentit mecum Appianus in Civil. V. c. 143.: λαθων δε ες πολυ, και κρυφα ληστευων εν Ιβηρια. Interim in vulgata acquiesco, quum longum et breve incerta sint et relativa; praeterea Strabo de temporis spatio parum informatus fuisse videatur. Ceterum constantis et fortissimi Sexti res gestas et ultima fata uberius exponunt Appian. Civil. lib. II — V. passim; Dio Cassius lib. XLIII — LIX.; invidiose iudicant Vellei. II. c. 79. et Flor. IV. c. 8. Bilem movet lentum Ciceronis frigus ad Att. XII, 37. Plutarchi stylo dignus fuisset alter iste Sertorius!

34. Κονίστωρσις —

Nomen huius urbis in Lusitanorum tumultibus cito deletae (quare geographorum nulli memoratae) aut ab ipso Strabone aut a librariis paulo depravatum est.

Est enim Κονίστοργις Appiani, Iber. c. 57 et 58.; Anistorgis Livii XXV. c. 32. Conistorgis autem significat urbem Coniorum s. Cuneorum, i. e. Cynesiorum s. Cynetum in Cuneo (cf. c. 1. §. 2.) habitantium. Igitur non me teneo, quin reponam verum nomen Κονίστοργις vel Κονιστῶργις. Saltem scribendum erat Κονιστῶρσις.

Paulo post cum Coraio distinguo: συνιασι μαλιστα, ὑπερκειμενην cet. Male vulgo: συνιασι, μαλιστα ὑπερκειμενην; Turdetani enim plerumque ibi conveniunt. Ὑπερκειμενην autem bona lectio est, nec erat, quod a Coraio mutaretur in ὑπερκειμενη.

§. 3.

35. επι Κλαστῶν —

p. 142 Mirum, Casaubonus ait, quum toties hanc urbem Strabo nominet, nusquam eius nomen recte scriptum posse inveniri." Hic scriptum invenitur Κλαστῶν, p. 148 Cas. et 166 ter Καστακων, p. 152 Καίτουλον, p. 160 iterum Κλάστων. Nostro loco, quum quartus casus sit, saltem Κλαστῶνα, ut p. 160, vel Κλαστῶνος cum codd. Stroz. Vat. A. B. legendum esset. Omnibus his locis eandem urbem intelligi, nimirum Castalonem sive Castulonem in Oretania, haud procul a fontibus Baetis fluvii et ipsius Baeticae cum Tarraconensi confiniis sitam, luce clarius est. Sed iam apud veteres loci nomen varie expressum inveniri, nimirum Castalon, Castulo et omisso vocali Castlon, recte monuit Mannert. I. p. 390, Graecis quidem scriptoribus Castalonem vel Castlonem, Romanis vero Castulonem praeferentibus. Ab hoc more unus fere Ptolemaeus recedit, qui lib. II. c. 6. Romanorum usum in efferendis nominibus ubique pressius sequi amans, et ubique sonum religiose servans, et ipse Castulonem appellat. Appiano vero, in nominibus alias parum diligenti, in hoc tamen Latinorum a breve per o exprimenti, Iber. c. 16. est Καστολών. Se Castaca Appiani, Iber. c. 32., an idem oppidum sit, (quod Wesseling. ad Antonin. p. 403 et Mannertus affirmant), licet de eadem re gesta Castulonem Livius XXVIII. c. 19. nominet, equidem cum

Schweighausero vehementer addubito, cuius vide notam ad Appian. l. c. 242. Iam vero quaenam scriptura Straboni reddenda sit (si quidem semper eandem secutus est, de quo vid. infra Obs. crit. ad p. 152 Cas. c. 3 §. 2. ad vocem Δουρειας), dubitari forte poterit. Quum autem nusquam recte expressum nomen legamus, corrigendum utique est, ideoque eadem semper scriptura sequenda; et Casauboni emendatio, semper Κασταλῶνα legendum esse censentis, eo probabilior est, quum etiam Polybius X. c. 35 et XI. c. 18, et Artemidorus apud Steph. Byzant. v. Ωρισια, ex quibus multa Nostrum hausisse scimus, nec non ipse Stephanus ita habeant; nisi quis maluerit Καστλῶνα cum Plutarcho in Sertor. c. 3. Elidere amant Graeci u breve ante λ, ut Τουσκλον, Ασκλον, κουνικλους etc. Romani scriptores, uti diximus, semper Castulonem efferunt, ut Liv. XXIV. c. 41. et saepius; Caesar b. civ. I. c. 38.; Antonin. Itin. p. 403; Plin. III. c. 3. 2.; Sil. Ital. III. v. 99 et 391. Ceterum non cum Stephano Byz. penacute Καστάλων, sed cum ceteris acute Κασταλών, ut dudum Holsten. in Notis expressit, scribendum. Conferas quoque, quae infra addam ad c. 3. §. 2.

36. αυτῳ συναπτουσαι —

Ita in omnibus libris scriptis Italicis apud Siebenkeesium, ut in omnibus Casauboni, recte legitur. Editi tamen fere omnes, etiam interpres prior, αυτῳ omittunt, quod iure locum suum poscit, ne sensus turbetur. Sunt enim montes, Baeti fluvio magis minusve appropinquantes; at omisso αυτῳ, sc. ποταμῳ, forent montes inter se cohaerentes, quod non vult Geographus.

37. κατα δε τας Κωτινας λεγομενας —

De Cotinis etsi non satis certo constet, id tamen facile perspicitur, Graeca voce Latinorum oleastrum exprimi. Quum non olivarum solum, sed oleastrorum etiam tanta in Iberia copia adsit, admodum probabile est, nonnulla loca inde traxisse nomen. Quare ipse Strabo p. 159 Cas. c. 4. §. 6. prope Saguntum Olea-

strum oppidum habet; aliud eiusdem nominis Ptol. II. c. 4. et Plin. III. c. 3. 1.; lucum, quem Oleastrum vocant, memorat Mela, III. c. 1.; quin ipsis Gadibus Cotinusae antiquitus nomen fuisse, sat multi auctores sunt, quorum loca dedit Hard. ad Plin. IV in Not. et Emendat. nr. 126. Etiam promontorium Oleastrum in Mauritania Tingitana affert Ptol. IV. c. 1. Sic in Strabone quoque αἱ Κωτιναι λεγομεναι nihil aliud sunt, quam locus quidam ab oleastris sive oleastrorum silva ita vocatus. Atqui oleaster Graecis est ὁ et ἡ κοτινος; quare pro Κωτινας legi oportet Κοτινους; neque ita textum emendare dubitavi, praeeunte Is. Vossio in obs. in Mel. l. c. p. 781. Librarius, qui genus vocis commune ignorabat, epithetis foemininis vocem accommodarè voluit. Ceterum Strabonis Cotini cum Ptolemaei et Plinii Oleastro, haud procul ab Hispali sito, idem locus esse videtur.

38. Εχει δὲ και ὁ Ανας αναπλους, —

Anas quoque navigationes admittit et habet. Egregie ita locum sanavit Casaubonus antea foedissime corruptum, quum omnes codices et editi ita habeant: εχει δε ηϊονας ὁ αναπλους, aut εχει δε και η. ὁ α. ut Bas. Hopperi, i. e. habet vero etiam ripas navigatio; quod quid sibi velit, nemo facile dixerit. Nihilo minus eam lectionem in omnibus Mss. invenit Siebenkeesius, neque omnes sex Parisienses aliter habere videntur. Talia igitur loca in mendis adeo perfecte concinentia, omnes, qui supersunt, Strabonis codices, ex uno antiquiori exemplari originem duxisse, manifeste demonstrant. Suspicatur quidem Casaubonus, respici forte ad ῥυμουλκιαν, qua naves flumine adverso remulco trahuntur. Sed huius rei ne vestigium quidem istis verbis inest, quae nihil aliud dicunt, quam anaplum in flumine ripas habere, quod sensu prorsus caret. Praeterea de Baeti flumine accipi ista nequeunt, vel propter sequentia. Scilicet superiacentes montes (ὑπερκειται-ορη), qui ad Tagum usque procurrunt, inter Baetim et Tagum alium amnem postulant, ultra quem ad Tagum usque procurrere ita dicantur, ut paulo ante

montes Mariani trans Baetim porrecti dicebantur. Quare egregia quoque Coraii est emendatio, paulo post pro και τα μ. ε. ορη legentis: και τουτου (Anae) μ. ε. ορη. Ut enim trans Baetim montes sunt metalliferi, ita etiam trans Anam. Malim tamen και αυτου, quum syllaba αυ facilius adhaerere potuerit voculae και. Praeterea in vulgata lect. τα ορη articulus offendebat; montes enim non sunt definiti. His ita expositis, Anam sub voce ηϊονας latere, quem ipsae adeo literae produnt, vel caecus videat. Iam etiam quae adduntur: ουτε δε τηλικουτοις σκαφεσιν, ουτ᾽ επι τοσουτον, cum alium quendam fluvium postulant praeter Baetim, tum Anae egregie conveniunt, quippe minori quam Baetis. Denique mirarer, si Anae navigationem alto silentio praeteriret Geographus. Merito igitur Sieb. et Coraius verissimam hanc emendationem receperunt, quos ego sequi non dubito. Ceterum, ne quid omittam, si ad ῥυμουλκιαν in Ana fluvio respiciatur, ita legendum Casaubonus censet: εχει δε και ηϊονας ὁ του Ανα αναπλους. Sed, ut dixi, quomodo is sensus ex his verbis elici queat, equidem vix assequor. Praeterea id si voluisset Strabo, non tam brevi et obscura allusione contentus, rem luculentius exposuisset. Denique ῥυμουλκιαν in solo Ana fuisse, quis credat? De aliis vero Hispaniae fluviis talia non legimus.

§. 4.

39. Ἁυτη δ᾽ ἡ Τουρδιτανια —

Nexum horum verborum cum praecedentibus qui diligentius attenderit, huic vox ἅυτη non suspecta esse nequit. De montuosis et asperis Baeticae regionibus sermo fuit, et de siccis Baeturiae campis. His iam opponitur Turditania, quae Baeticae felicissima pars est. Igitur non *haec* Turditania, quasi iam ante de Turditania sermonem fecisset, dicendum erat, sed potius: *ipsa vero* Turditania terra est felicissima. Quare scripsisse Strabonem arbitror: Αὐτὴ δ᾽ ἡ Τουρδιτανια. Senserunt vitium interpretes, quorum prior, vim oppositi fortiter exprimens, vertit: At enim ipsa Tur-

ditania; Xylander vero: ipsa autem Turditania; Penzel: aber das eigentliche Turditanien. Simillima rerum iunctura supra c. 1. §. 2. legitur: Αὐτὸ δὲ το ακρον.

40. τῳ πληθει των ναυκληριῶν·

Ἡ ναυκληρία quum sonet vitae genus, negotia et commercia nauclerorum, qui navem possidentes, vectoribus et mercatoribus eam locant et quaestum faciunt (nobis Schiffsrhederei), quam parum huic loco, imprimis τῳ πληθει, conveniat, nemo non videt. Ipsos potius naucleros sive navicularios, i. e. navium possessores et mercatores, vel etiam navigia, quibus merces transportentur, exspectamus. Facillima itaque mutatione legatur aut ναυκλήρων, aut saltem ναυκληρίων. Utrum praeferas parum differt; posterius tamen magis placet, placuisse Coraio quoque video. Nam το ναυκλήριον est quasi nauclerica possessio, navigium, quo nauclerus ad merces transvehendas utitur, navis oneraria, ὁλκας εμπορικη p. 144 Cas. §. 5. Demosth. in Aristocr. p. 289: μεγιστα ναυκλήρια κεκτηται των Ἑλληνων, Plutarch. Apophth. Lacon. p. 242: πλουσιωτερος ειναι εδοκει, ναυκλήρια πολλα εχων. Equidem igitur ναυκληρίων lego, solo mutato accentu, quae vox Straboni admodum familiaris est, ut infra de Gaditanis p. 168 Cas. c. 5. §. 3.: οἱ τα πλειστα ναυκλήρια στελλοντες, et p. 145 init. c. 2. §. 6.: το πληθος των ναυκληρίων, ubi textus perperam habet ναυκλήρων. In his similibusque verbis saepissime aberraverunt negligentes librarii; ex. gr. p. 143 Cas. hac ipsa sectione τοις ναυτιλιοις scripserunt pro τοις ναυτιλοις; p. 146 extr. §. 8. των χαλκουργων pro χαλκουργειων. Ceterum interpretes iterum aliter legerunt, aliter verterunt; verterunt quidem: mercatores navigantes; sed id non erat in textu.

41. Ἁπασα γαρ εστι πεδιας ὑπερ —

Ante ὑπερ excidit articulus ἡ sc. χωρα, quo opus utique est, ut antecedens subiectum (ἁπασα sc. χωρα) repetatur et quasi continuetur ad sequentia. Dormitasse

me oportet, quod hucusque non vidi, nunc demum a Coraio excitatus.

42. εκτεταμενοις επι πολλους σταδιους· —

Ergo fluviorum alvei in multa porrecti sunt stadia? Sunt sane; sed multum abest, ut ita scripserit Geographus. Aestuariorum naturam describens, convallibus aut fluminum alveis illa comparat. Iam quid, quaeso, magis otiosum magisque a re alienum, imo magis absurdum excogitari queat, quam docere nos Auctorem velle, fluminum alveos in multa porrigi stadia? Quasi vero flumina pleraque per paucula porrigantur stadia! Vel quasi huc pertineret, fluminum naturam exponere! Imo agitur de aestuariis, quae quam longe porrigantur, scire interest. Igitur αἱ κοιλαδες illud additamentum iure sibi vindicant, et scribendum est εκτετάμεναι etc. Similiter paulo infra p. 143 Cas. hac ipsa sectione, anachyses vel ad octo usque stadia navigabiles dicuntur, ubi tamen numerum in mendo iacere videbimus.

43. Τοις γαρ κατaπλοις εοικε τοις ποταμιοις, — p. 143

Illud hoc loco me offendit, quod verbum εοικε vix habet, ad quod referatur. Quidnam illud est, quod amnium navigationi deorsum ferenti simile dicitur? An ex superioribus το αναπλεισθαι repetendum est? At significatio passiva parum convenit. Forte ante εοικε excidisse suspiceris ὁ πλους vel αναπλους, ob similitudinem praecedentis αναπλους. Interpres Latinus ad ipsas anachyses referens, ita vertit: Secundis enim amnium navigationibus similes sunt" quasi legerit εοικασι sc. αἱ κοιλαδες. Ne id quidem satis placet. Ipsa enim aestuaria navigationibus male comparantur. Igitur in vulgata lectione adquiescendum, primamque rationem etsi paulo duriorem (nam ex τῳ αναπλεισθαι sumendus est ὁ αναπλους), sequendam esse arbitror.

44. πολλακις και επι οκτω σταδιους αναπλεομενας, —

Egregiam vero laudem, haec aestuaria interdum vel ad octo stadia navigari! Nusquam tamen huius

lectionis, quae quam absurda et ridicula sit, vel puer sentiet, discrepantiam invenio. Sed deierare ausim cum Casaubono, non ita fuisse a Strabone scriptum. Quanquam huiusmodi aestuaria, quae ad quingenta stadia navigari Casaubonus affirmat, in Strabone frustra quaero. Nam de isto loco p. 151 Cas. c. 3. §. 1., quem de aestuariis in ostio Tagi agentem ex memoria parum accurate et parum recte intellectum Casaubonus excitat, res incerta est. At aestuaria tantae longitudinis non opus sunt; imo tantae longitudinis in Iberiae his partibus vix usquam fuerunt, neque nunc sunt. Itaque Penzelium, pro octo stadiis adeo octingenta substituentem, licet rem acu tetigisse sibi videatur, non opus est, ut refellam; res ipsa eum refellit. Cogitemus quaeso multa aestuaria, quorum plura ad viginti milliaria geographica navigabilia dicantur; his addamus consentaneam proportioni latitudinem (nam non sunt angusti fluviorum alvei) aliquot milliariorum; mehercules totam istam Iberiae partem cohaerentium fere aestuariorum undis obrutam, et unam quasi immanem paludem et λιμνοθαλατταν habebimus; quod Dii avertant! Ipse quidem Strabo: ὥστε, ait, πασαν πλωτην παρεχεται την γην; sed addit: τροπον τινα, i. e. cum grano salis. Nihilo minus et Coraium a Penzelio se decipi passum deprehendo; quod non capio, nisi quod quandoque bonus dormitat Homerus.

Iam quid de octo istis stadiis fiet? Videamus, quo forte nos ipse ducat Geographus. Navigari ait haec aestuaria usque ad oppida interioris terrae, et porrigi per multa stadia; aestu marino ea impleri, ut navigari possint; nonnulla tamen maris refluxu evacuari, ut navigia interdum in sicco destituantur. His inter se comparatis, id saltem probabiliter colligi poterit, ad aliqua usque milliaria geographica, i. e. ad centum vel ducenta adeo stadia a litore in terram interiorem procurrere ista aestuaria. Accedit huic opinioni maior probabilitas ex eo, quod p. 141 Cas. c. 2. §. 2. de Asta oppido legimus, scilicet fere in fine magni aestuarii situm circiter centum stadiis, non multo pluribus, a litore abesse. Similiter magnum aestuarium

prope ostium Tagi planitiem ad CL stadia inundat, p. 152, c. 2. §. 1. Praeterea quum de aestuariorum longitudine non simpliciter Auctor agat, sed quatenus navigari possint, de longitudine eorum magna pars (triens fere vel quadrans) quasi huc non pertinens demenda erit. Fac igitur, nonnulla vel ad trecenta stadia (septem milliaria cum dimidio) a litore intus porrigi, ea ad ducenta fere stadia s. quinque milliaria geographica navigari poterunt, quae longitudo mihi quidem videtur maxima, quum magni Astensis aestuarii longitudinem vel duplo superet. Quodsi itaque pro *οκτω στ.* Strabonem *διακοσιους σταδιους* scripsisse ponamus, a vero non multum nos aberrare (nam certi quicquam in re tam incerta quis definiat?) persuasum habeo. Iam igitur, quum foedum illud intolerandumque mendum e textu removendum utique sit, *διακοσιους σταδιους* reponere vel meo periculo ausus sum. Nam a libris scriptis nulla loco speranda est salus.

45. *ναυτιλιαι, αἱ δια την σφοδροτητα της πλημμυριδος, ισχυροτερον — αντιπνεουσαι —*

Amnium navigationes, ait, quae ob vehementiam affluxus exundantis validius naturae (i. e. cursui) amnium obnituntur, periculum afferunt et sursum et deorsum navigantibus. Hoc me non intelligere, ingenue fateor. Quomodo, quaeso, amnium navigatio ob vehementiam aestus marini naturae s. decursui fluminis obniti et obluctari dicitur? Etiam secundo flumini, deorsum si naviges? Nihilo minus in textu expresse hoc affirmatur. Ne adverso quidem flumine naviganti vehemens aestus marinus obnititur, quippe qui cursum potius adiuvet. Multum itaque abest, ut navigatio amni obnitatur; imo potius ipse vehementior iste obnititur aestus marinus, naturae amnium delabentium ita quasi obluctans, ut inde navigantibus oriantur pericula; nam deorsum vehentibus aestus vi ingenti obnituntur, adscendentes vero aut nimium pellunt et trudunt, aut fluminis cursu obnitente in vortices et vada detorquent. Quare mendam in textu latere, nullus dubito, neque tamen detectu difficilem. Post *ναυτιλιαι* delen-

dum est αἱ, quod ex somnolenta repetitione praecedentis syllabae in textum irrepsit; dein pro αντιπνεουσαι scribendum αντιπνεουσης, ut referatur ad πλημμυριδος; comma denique transponendum ab ista voce post αντιπνεουσης. Iam igitur locum ita lego: αἱ — ναυτιλιαι, δια την σφοδροτητα της πλημμυριδος ισχυροτερον τη φυσει των ποταμων αντιπνεουσης, κινδυνον — επιφερουσι. Ceterum mendi origo facile intelligitur. Illud αἱ ubi textum semel invaserat, depravatio vocis αντιπνεουσης sponte sequebatur. Simillima methodo etiam Coraius hunc locum emendavit, nisi quod dedit αντιπνεουσαν; at minus recte, si quid iudico; non enim ἡ σφοδροτης αντιπνει, sed ἡ πλημμυρις. Praeterea φυσει mutavit in ρυσει i. e. decursui fluminis. Bene certe την φυσιν explicavit; at mutare non erat necesse. Interim et Ald. Hopp. Xyl. et duo codd. ρυσει exhibent.

46. τοις ναυτιλιοις —

To ναυτιλιον quid sonet nescio, neque umquam me illud legisse recordor; neque agnoscunt vocabulorum interpretes. Nihilo minus omnes, quantum scio, evulgatas editiones obtinet. Nautas Guarinus habet, Xylander navigantes. Scilicet sensus corrupti vocabuli in promtu erat, neque minus in promtu est vera lectio τοις ναυτιλοις, nautis. Iam antiqui aliquot codicum scriptores mendum illud deprehendisse et tollere voluisse videntur. Nam in codd. Stroz. et Venet. apud Sieb. legitur τοις ναυκληροις, i. e. navium possessoribus. Non mala quidem lectio, neque tamen probanda, quum navium possessores minus hic exspectes, quam ipsos nautas. Aliam lectionem suggerunt codd. Reg. Paris. et Casauboni: ναυκληριαις — κατακομιζομεναις. At non sunt huius loci αἱ ναυκληρίαι, i. e. nauclerorum commercia, de quibus dictum supra init. huius sect. nr. 40. Saltem scriberem τοις ναυκληρίοις, i. e. navibus onerariis, de quibus et ipsis l. c. egi. Acquiescamus igitur emendatione proposita τοις ναυτιλοις, quae loco est convenientissima, et ad vulgatam proxime accedit. Interim Coraius habet ναυκληριοις.

47. τας προς τον ποταμον, προ των αναχυσεων, —

Haec verba, in quibus omnes editi conveniunt, interpretes ita vertunt: pecus, quod ante affluxum in insulas ad amnem sitas transiverat. Casaubonus nil monet. Nihilò minus verba non carent mendis. Primo enim quemnam fluvium Auctor dicat, nescio. Baetim, ais, praecipue respicit. Is igitur κατ᾽ ἐξοχην vocatur ὁ ποταμος? Vix crediderim; certe alias ita non vocatur. Deinde, quomodo fit, ut in solo vel ad solum Baetim eiusmodi insulae sint, non vero ad alios fluvios eiusdem litoris? Certe damnum, quod pecori oritur aestu marino, haud ita magnum erit, quam quod hic, ubi de aestuariis praecipue et universim agitur, memoretur. Sed in aliorum quoque fluminum ostiis et ripis, quin et in aestuariis eiusmodi insulas separari aestu marino, credere par est. Tum vero insulae iuxta flumen sitae rectius dicerentur νησοι προς τῳ ποταμῳ vel προ του ποταμου. Quare nullus dubito, quin altera, quam aliquot codices (Reg. Paris. Stroz. Venetus, et forsan plures) suggerunt, lectio vera sit: προ των ποταμων, i. e. in ostiis et ripis fluviorum, quam Coraius merito recepit. Sed eadem recepta illud exoritur incommodi, ut vocula προ bis dicatur diverso sensu, nunc de loco nunc de tempore. Nam προ των αναχυσεων vertunt: ante affluxum maris, novam insuper τῃ αναχυσει affingentes significationem. Nam αναχυσις Nostro numquam est affluxus maris s. aestus marinus, sed aestuarium, et eo quidem sensu, quem ipse distincte definivit c. 1. §. 6. Neque aliter hoc loco ἡ αναχυσις accipienda est, dummodo restituerimus copulam και, ubi excidit. Vera itaque lectio est: προ των ποταμων και προ των αναχυσεων; et parvas insulas Lector cogitet, iuxta ostia et ripas fluviorum et aestuariorum affluxu maris circumscriptas, in quibus pecora, quae refluxus tempore transierant, affluxu opprimuntur. Cf. paulo supra, et infra c. 3. §. 1. et c. 5. §. 12.

48. τοτε μεν ουν και επεκλυσθη, τοτε δε και απελειφθη· βιαζομενα δ᾽ επανελθειν ουκ ισχυσεν, αλλα διεφθαρη.

Inter istos hic locus referendus est, qui obiter et festinanter legenti bene sani videntur, quosque sub-

tilior demum disquisitio mendo laborare deprehendit; quo fit, ut ab editoribus et interpretibus plane intacti praetermittantur, quasi nihil habeant, quod nos detineat; cuius generis sat multi in Strabone occurrunt. Locum nostrum Xylander ita vertit: et pecus aliquando illuvie obruitur, aliquando destituitur; vique transire frustra conatum interit. Similiter prior interpres. Et bene respondet huic versioni verborum Graecorum, quam libri vulgati habent, prava interpunctio.

Primum offendebat repetitum illud *και-και*. Quid istud rei est: pecus nunc et undis obruitur, nunc et destituitur? Interpretes prorsus praetermittunt; scilicet praetermittere, quod non intelligas, id vero semper est facillimum. Igitur duplex illud *και* non vertendum esse et-et, facile videbam. Prius *και* vel sive adeo valere putabam; iam vero alterum sine sensu restabat. Deinde, quum dispicerem, quaenam ea sint, quae h l. sibi opponantur, non ea esse deprehendebam, quae ex versione et interpunctione perversa opponi videntur. Scilicet *τῳ επικλυσθηναι* non opponitur *το απολειφθηναι*, sed quod pecora *βιαζομενα επανελθειν, ουκ ισχυσεν*. Iam igitur huncce periodi sensum esse intelligebam: Pecus, quod ante affluxum in insulas ad fluvios et aestuaria sitas transierat, interdum adeo (*και*) undis obruitur et abripitur, interdum vero, etiamsi non obruatur, sed loco relinquatur, vi autem undas transire conans, non valet, sed viribus destitutum perit. Hunc sensum textus quoque suppeditabit, modo particula *ει*, quam ante verba *και απελειφθη* excidisse vel caecus videbit, ei restituatur, emendataque interpunctione locus ita legatur: Τα δε *βοσκηματα* — — *τοτε μεν ουν και επεκλυσθη, τοτε δε, ει και απελειφθη, βιαζομενα δ' επανελθειν, ουκ ισχυσεν, αλλα διεφθαρη*. Strabonem ita scripsisse adeo persuasum habeo, ut textum meum ita refingere non dubitaverim. Ceterum duo ista: *και απελειφθη* e Mss. Bemb. Stroz. et Venet. abesse adnotavit Siebenkeesius. Scilicet horum codicum scriptores mendam istam sensisse videntur; at medicina usi sunt parum idonea, radicitus eradicantes, quae admodum levi auxilio indigebant. Coraius quoque sen-

sit quidem loci vitiositatem, sed nec bene nec radicitus curavit, dum dedit τοτε δε και απεληφθη, quod cum praecedente επεκλυσθη idem est, dumque vulgatam interpunctionem male servavit, quae veram loci interpretationem non admittit. — Ceterum ουν, quod deleri vult, post parenthesin bene habet; cf. Matth. grammat. Gr. §. 611.

§. 5.

49. Σονοβα, —

Sonoba oppidum nulli geographorum memoratur, nec usquam reperitur. Quare dubium non est Casaubono, quin sit Colobona Plinii, III. 3. 1., sita inter aestuaria Baetis. Sed multum abest, ut Viro magno adstipuler. Sunt enim, qui et ipsam Colobonam (Harduin. ad Plin. l. c.) in dubium vocent, et Col. Onobam legere malint; quod quo iure faciant, perscrutari, licet non sit huius loci, id tamen ausim affirmare, Plinianam Colobonam non minus obscuram et incertam esse, quam Strabonis Sonobam. Interim corruptum esse hoc nomen, nullus dubito, quare remedium utique adhibendum est. Scilicet Osonobam sive Ossonobam Strabo intelligit, quod oppidum maritimum Turditanorum fuit in Lusitania, inter Cuneum et Sacrum promontorium. Ptol. II. c. 5. ita habet: Balsa, Ossonaba (leg. Ossonoba), Sacrum promontorium. Mel. III. c. 1.: In Cuneo sunt Myrtili, Balsa, Ossonoba; in Sacro etc. Ex Mela transtulit Plin. IV. c. 35. 22.: Cuneus. Oppida Ossonoba, Balsa, Myrtilis. Marcian. Heracl. eodem, quo Pomponius, ordine pag. 73: επι Βαλσα — — απο Βαλσων εις Οσονοβα — — απο δε Οσονοβα εις το ἱερον ακρωτηριον. Igitur reddamus Straboni Οσονοβα, quod certissime scripsit. Cui enim, Vossius ait in Obs. ad Mel. l. c. pag. 784, non appareat, Οσονοβα esse scribendum?" Ceterum quod in Lusitania sita fuit Osonoba, nihil obstat, quo minus eam hic apponere potuerit Geographus. Omnia enim exempla oppidorum, quae iuxta aestuaria condita fuerint, ex ipsa Baetica petenda fuisse, quis contendat?

50. *του πολλαχοθεν ειναι* —

Imo *τῳ πολλαχοθεν ειναι.* Nam *προσλαμβανειν*, quotiescumque notionem adiuvandi et conferendi habet, casum tertium adsciscit; nec rara est in Strabone haec notio. Supra c. 1. §. 2.: *προσλαμβανειν τῳ σχηματι.* c. 2. §. 1.: *προσλαμβανοντος του ποταμου Βαιτιος* sc. *τῳ ηυξησθαι.* Lib. XIII. p. 581 Cas. c. 1. §. 1.: *προσλαμβανει τῳ μηκει.* Lib. XI. c. 4. §. 2.: *ταις αρεταις προσλαμβανουσι.* Igitur vel invitis libris reposui, quod Auctor scripsit, neque aliter Coraium fecisse video.

51. *και διειργομενας ὑπο των διειργοντων ισθμων τους πορους, και πλωτον απεργαζομενων,* —

Iterum ecce locum aperte corruptum, neque tamen ulli, quantum scio, Virorum doctorum suspectum. Xylandrina versio ita habet: Similiter prosunt etiam confluxus in exundationibus, quae impediuntur isthmis alveos dirimentibus, eosque navigabiles facientibus. Haec versio neque Graecis satis convenit, neque magis intelligitur, quam ipsa Graeca. Primo itaque Strabo quid velit, explicabo, quo facto haud ita difficilis erit loci sanatio.

De *συῤῥοιαις* loquitur Geographus, i. e. de aquis interfluis inter duo aestuaria haud longe dissita, vel inter aestuarium et fluvium isti vicinum. Cogitet Lector inter duo aestuaria, vel inter unum aestuarium et fluvium regionem humilem et ad modum vallis vel fluminis alvei paulo excavatam aquisque perviam, ita ut aestu marino aquae ex aestuario et fluvio exundantes illam quoque impleant; ita existet quasi aqueus transitus, *πορος,* in obliquum ductus, quo utrumque aestuarium vel simplex aestuarium fluvio transverse iungitur. Hi transitus ex altero ad alterum transversi, aquis exundantibus repleti *συῤῥοιαι,* i. e. aquae confluentes Nostro dicuntur. Porro regiones paulo altiores, quae inter duo aestuaria vel unum aestuarium et fluvium interiacent, quaeque impediunt, quo minus ex duobus istis unum fiat, *ισθμοι* nominantur. Recte igitur dicuntur *αἱ πλημαι* (i. e. *αἱ αναχυσεις* s. aestuaria) *διειργομεναι ὑπο των διειργοντων ισθμων.* Tum vero *αἱ συῤῥοιαι*

s. aquae confluentes transitus istos humiles sive alveos transversos ad aestuarii instar inundant navigabilesque reddunt (τους πορους πλωτους απεργαζονται), ita ut ex fluminibus in anachyses, et invicem ex his in illa navigari possit. Haec Strabonis mens est, quam tamen ex verbis Graecis, ut leguntur et distinguuntur, nullo modo elicias, ne extorqueas quidem.

Iam igitur hanc offero loci emendationem. Incisione facta post ισθμων (pro quo edit. Cas. a. 1620 peccato typographico exhibet ισθμον) sublata vero post πορους, atque deleta copula και ante vocem πλωτον, pro πλωτον απεργαζομενων lego πλωτους απεργαζομεναι, ὥστε cet. Diu me olim insudasse huic loco, fateor; nòn ita diu insudassem, si edit. Siebenkeesiana citius ad manus fuisset. Nam ecce! Duo libri scripti Italici, cod. antiquissimus Stroz. A. et Venetus hanc ipsam, quam proposui, lectionem exhibent, ut coniecturae meae egregia inde accedat commendatio, neque textum ad hanc ipsorum librorum auctoritatem refingere haesitaverim. Eandem lectionem Coraius secutus est, nisi quod tria haec verba: και διειργομενας ὑπο, prorsus delevit, fortasse ne αἱ πλημαι (quod paulo insolentius fieri concedo) dictae sint pro ταις αναχυσεσιν. Nihilo secius Coraius an verum loci sensum perceperit, est quod dubitem.

52. εις Ιταλιαν κατᾶραι μολις, διενεχθεις — p. 144

Olim haec verba ita legebantur: εις Ιταλιαν κατᾶραι· μολις γαρ διενεχθεις. Locum laborare ab interpunctione, et voculam γαρ insititiam esse, recte animadvertit Casaubonus, cuius veteres libri (etiam codd. Vaticani apud Sieb.) veriorem istam lectionem exhibebant. Nam Posidonius, per tres menses in mari multum iactatus, vix demum in Italiam pervenire potuit. Etiam interpretes Latini το γαρ omittunt. Ceterum Thomae Tyrwhitti, Angli, cuius coniecturas in Strabonem iterum publici iuris Harlesius fecit *), emen-

*) Thomae Tyrwhitti Coniecturae in Strabonem, curavit Theoph. Chr. Harles. Erlang. 1788.

dationem adscribam, si quidem emendatio est. Si quis, ille ait, το γαρ non prorsus insititium iudicet, legere potest non ineleganter παραδιενεχθεις." At vereor, ne antiquis Graecis novam vocem Tyrwhittus composuerit, quam exemplis firmare neglexit. Nullum enim in lexicis huius vocis est vestigium, etsi aberrationem a recta via et ambages satis bene exprimat. Mallem saltem simplicius παρενεχθεις. Coraius male κατάραι. Cf. Tzschuck. ad lib. X. c. 4. §. 19., ubi Cor. recte καταῦραι.

53. και τἄλλα (τ' αλλα) αταντικρυ τουτων μερη της Λιβυης.

Itane scripsisse Geographum? Quasi vero Gymnesiae et Sardinia insulae partes fuerint Libyae! Ait enim, iactatum esse Posidonium circa Gymnesias et Sardiniam, aliasque his e regione sitas partes Libyae. Sunt fortasse, qui tale genus dicendi defendant et excusent, neque ad vivum resecari velint; qui paulo negligenter quidem, satis tamen perspicue dictum esse contendant, ita ut τα αλλα μερη Λιβυης nihil amplius valeat, quam ενια vel πολλα μερη Λιβυης. Esto ita; quamquam talis dictio Straboni, qui accuratiore ακριβειᾳ uti solet, vix erit condonanda. Eo minus, si quis πολλα Strabonem scripsisse suspicetur, equidem contradixerim; vel potius, ita scripsisse, persuasum habeo. Posidonium autem re vera oris Libyae appulsum, multasque ibi res memorabiles vidisse, iterum Strabo narrat lib. XVII. p. 827 Cas. c. 3. §. 4., ubi legitur: ὁτι προσενεχθειη τῃ Λιβυκῃ παραλιᾳ etc.

§. 6.

54. κοκκος πολυς, —

In nonnullis codd. Italicis et Reg. Paris. legitur κοκκος πολλη, quam lectionem perperam in textum recepere Siebenkeesius et Coraius. Vulgatum πολυς mendo caret, et iure suo, quippe et plurimorum librorum fide munitum, locum tuetur. Praeterea Graeci plerumque τον κοκκον dicebant, genere masculo, nisi quod Dioscor. Mat. med. IV. c. 48. fruticem illum, in quo

cocci grana nascuntur (Quercus coccifera Linn. Cf. Salmas. Exercit. Plin. p. 195. Veteres πρινον vocabant.), την κοκκον appellet. Κοκκος βαφικη, ait, θαμνος εστι μικρος φρυγανωδης, ᾡ προσκεινται οἱ κοκκοι ὡς φακοι. Similiter Pausanias in Phoc. s. lib. X. c. 34.: γινεται δε εν τῳ καρπῳ της κοκκου (fruticis) βραχυ ζωον etc. At vero fruticem quernum, qui coccum profert, Strabo non intelligit, sed ipsa cocci grana, quae ceteri scriptores, quantum equidem scio, semper τον κοκκον appellant; quare nullum est dubium, quin vulgata lectio κοκκος πολυς retinenda sit. Cf. Gronov. Var. Geogr. p. 169. Etiam Coraius illam retinuit.

55. Τα τε ναυπηγια συνιστασι αυτοθι εξ επιχωριας ὑλης.

Xylander haec verba ita vertit: naves conficiunt ex indigena materia; sensu quidem affatim luculento, quem tamen num et quomodo Graeca verba praestent, iure ambigas. Nimirum το ναυπηγιον est navale, locus et officina, ubi et in qua naves construuntur, nobis Schiffswerft, Lastadie. Quomodo igitur Turditani navalia componunt sive construunt ex indigena materia? Τα ναυπηγια vero pro ipsis navibus dici, equidem non memini. Pariter ὁ ναυπηγος navium fabricator est, ἡ ναυπηγια navium compactio s. fabricatio, ναυπηγικος et ναυπηγησιμος ad navium fabricam pertinens, ναυπηγικη τεχνη navium fabricandarum scientia, ipsumque ναυπηγεω naves fabricor. Fortasse inquies, τα ναυπηγια sc. ξυλα, ligna esse navalia, i. e. navibus construendis idonea, quae συνιστασι, i. e. comparant et congerunt ex indigenis silvis. Non male ita, modo per usum loquendi, quem prorsus desidero, ita accipere liceat. Saltem τα ναυπηγικα dicendum erat. Praeterea ligna navalia s. materiam navalem την ὑλην την ναυπηγησιμον appellat lib. IV. p. 202 Cas. c. 6. §. 2. et lib. V. p. 223 init. At τα ναυπηγια ipsa navalia intelligit lib. VII, in Excerpt. p. 331. nr. 16. et IV. p. 193. Eadem ratio est, si quis το συνιστασι interpretetur per αναπληθουσι, replent et quasi cumulant navalia indigenis lignis. Sic interpres prior accepisse videtur, qui vertit: ligna cumulant ibi navalia ex indigena materia. Media quidem forma το συνιστασθαι sive συστησασθαι μισθοφορους, ναυτικας δυναμεις, δυναστειαν etc.

Polybio aliisque dicitur, ut significet parare milites, copias navales, vel imperium; sed activam quoque formam ita in usu fuisse dubito, quae significationem potius habet componendi, constituendi, construendi; haec vero non tam navalibus convenit, quam ipsis potius navibus. Naves, inquam, ex indigena materia construere Turditani dicuntur. Id certe est, quod quisque Lector exspectat, quodque Xylander bene expressit. Strabo itaque novo prorsus dicendi genere aut τα ναυπηγια posuit pro τας ναυς, aut τα ναυπηγια ξυλα intellexit, quae συνιστασι vel potius συμφερουσι ex indigenis silvis. Utraque ratio ab usu loquendi aeque abhorret, altera ne satis quidem loco convenit. Sed vereor, ut genuinam Auctoris vocem habeamus, qui quum de navium fabricatione aperte loquatur, non tam ναυπήγια quam ναυκλήρια potius scripsisse putandus est; τα ναυκληρια enim significare naves onerarias, quibus mercatores utuntur, supra monuimus ad c. 2. §. 4. nr. 40. Auctor ipse, se ita scripsisse, quodammodo testatur in fine huius ipsius sectionis, ubi multitudinem των ναυκληρίων (ita enim et ibi legendum esse pro ναυκληρων, mox videbimus) Turditanorum praedicat. —

Alia tamen, ne quid intentatum relinquam, etsi cui minus arriserit, locum expediendi ratio ea erit, si mendum quaeratur in verbo συνιστᾶσιν, idque mutetur in συνίσταται vel etiam συνέστηκεν, forma media et vi intransitiva, quae haud raro constare et contineri significat. Iam τα ναυπηγια συνισταται vel συνεστηκεν explicamus: navalia ideoque ipsa navium constructio constat et fit ex indigena materia. Quid? quod pro τα ναυπήγια potius ἡ ναυπηγία a Strabone scriptum fuisse aliquis suspicabitur, ut lib. XI. p. 498 Cas. c 2. §. 17.: τοις προς ναυπηγιαν πασι· πολλην ὑλην (quam vocem, quippe ab antecedente πολλην absumptam, textui reddo) γαρ και φυει cet. Similiter dicitur: τα πραγματα συνισταται, res bene constant atque procedunt; εκ διαφορων συνισταται, ex diversis rebus constat. Aristot. de poet: και άπαν πραγμα, ὁ συνεστηκεν εκ τινων Idem in Hist. Animal. V. c. 15.: εξ ὡν τα λεπυριωδη συνισταται Et ipse Strab. IV. p. 203 Cas. c. 6. §. 5.: λιμνη συνισταται με-

γαλη. Ceter[illegible] orationis tenori το συνισταται longe melius conv[illegible]am το συνιστασι. Narratio, quae de rebus tant[illegible] de incolis agit, ita procedit: Exportatur [illegible]tania frumentum, pix quoque et mul[illegible]n co[illegible]ant etiam sales fossiles, fontes salsi et sam[illegible]osa; pannus quoque olim inde advehe[illegible]equalis hic orationis tenor, repente rump[illegible]interiectis: naves ibi conficiunt ex indigena mate[illegible]essime ita mutatum orationis tenorem, iterumque mutatum, quis non miretur? Contra vero, si συνισταται in textu fuerit, oratio optime sibi constat. Omnibus rite perpensis, hanc rationem priori praeferendam censeo, neque quin textum ita refingam, etsi audaciae crimen apud nonnullos contraxerim, me teneo. In syl[illegible] finalibus, quippe per compendia et negliger[illegible] scribi solitis, facillime et saepissime aber[illegible]ius generis exempla sat multa vidimus); [illegible]nis refingendis ars critica paulo solutiorem [illegible]amit licentiam.

56. ἁλες τε ορυκτοι παρ᾽ αυτοις εισι, —

Ita recte ex codd. suis omnibus, quibus et Casauboni suffragantur, restituit Siebenkeesius pro vulgato παρ᾽ αυτης, quod ferri nequit. Saltem εν αυτῃ.

57. ουδ᾽ ἡ εκ των οψων ταριχεια, —

Antiquiores editi, ut Bas. Hopperi, omisso articulo: ουδ᾽ εκ των ο. τ. Recte Casaubonus interposuit articulum, qui tamen non tam excidisse, quam culpa librariorum in otiosam particulam εκ transiisse olim videtur. Quid enim hoc sibi vult: ἡ εκ των οψων ταριχεια? salsamenta vel conditura ex piscibus? Imo ipsorum piscium salsamenta sunt, τα οψα τεταριχευμενα, pisces sale conditi, ideoque omisso εκ, quod sensum turbat, lego: ἡ των οψων ταριχεια, piscium conditura. Neque alias aliter Strabo rem exprimit Lib. VII. p. 327 Cas. c. 6. §. 8.: αἱ λιμναι, ταριχειας ιχθυων αυταρκεις εχουσαι. XVI. p. 764. c. 2. §. 45.: ἡ λιμνη ταριχειας ιχθυων αστειας παρεχει. Non poterit obiici, quod apud Athen. Deipn. III.

c. 33. p. 121 (c. 92. ed. Schweigh.) legatur: *τα ταριχη τα εκ των θαλασσιων και λιμναιων και ποταμιων γινομενα*; et apud Strabonem ipsum, III. p. 159. c. 4. §. 6.: *σκομβρων, εξ ὧν το αριστον σκευαζεται γαρον.* Nam *τα ταριχη* et *το γαρον* non est *ἡ ταριχεια*, quae est conditura sive actus condiendi; quare neque Athenaeo dicendum erat *αἱ ταριχειαι εκ των θαλασσιων γινομεναι*, [illegible]stro *ταριχειας εξ ιχθυων εχουσαι*, aut *ταριχειας εξ ιχθυων παρεχει.* Alia ratio est, quum *ἡ ταριχεια* simpliciter et absolute posita ipsa salsamenta denotat, ut Nostro p. 140 Cas. c. 1. §. 5.: *Μελλαρια, ταριχειας εχουσα*, ubi conditura ipsos pisces salitos s. salsamenta significat.

58. *ου χειρον της Ποντικης.*

Tu vero ocyus repone *χειρων*, ut deleatur tandem inveteratum vitium officinarum, quod omnes, quos inspexi, libros editos dehonestat. Ἡ *ταριχεια ου χειρων εστι*, non *χειρον.* Sic paulo ante: *μιλτος ου χειρων.*

59. *νυν δε ερια μαλλον των Κοραξων,* —

Locum mutilum appellat Casaubonus; deesse enim quaedam verba, ex quibus tota pendeat sententia. At non ita multa desunt; forte ne unum quidem verbum deest, licet unum vel duo sint corrupta. Loci restitutio adeo in promtu est, ut Virum magnum eam ne tentasse quidem, nisi quod *μαλλον* in *μαλακωτερα* mutandum esse aliquando se putasse dicit, mirari non desinam. Ipsa rerum series, de quibus agitur, genuinam lectionem, pellucido quasi velamento obductam, aperit sibique vindicat. De praestantissima lana Hispaniensi Geographus loquitur, quam lanae comparat Coraxorum, gentis Ponticae, ad radices Caucasi in Colchorum confiniis (cf. Plin. II, 105. 102. VI, 5. Steph. Byz. *Κοραξοι, εθνος Κολχων*; nec non Scylax et Hesychius conferendi), quae et ipsa egregiam lanam, si non in Italiam et Romam, certe in finitimas Asiae minoris et Graeciae provincias misisse ex hoc Strabonis loco putanda est. Ceteris enim scriptoribus Coraxorum lanae, quantum equidem scio, non memorantur, nisi quod

Ioh. Tzetza in Chiliad. de gentibus loquens, apud quas vestes pretiosae conficiantur, και Ιβηρες, inquit, έσπεριοι, και Κοραξοι ὁμοιως, ὑφασματα τα καλλιστα εισιν εριουργουντες, ex hoc ipso fortasse Strabonis loco; praeterea hunc Hippocratis (?) versum Casaubonus profert: Κοραξικα μεν ἡμεριεσμενη ἡλωποι, quem equidem non capio. An forte ἠμφιεσμενη? Sed quid est ἡλωποι?

Iam igitur ut ad Strabonem revertamur, ex vulgata omnium librorum lectione Coraxorum lana venit ex Hispania; quod nihili est. Sed duplex vel adeo triplex emendandi se offert ratio, non tam sensu quam verbis diversa, prout vel vulgatam lectionem νυν δε ερια retinuerimus, vel praetulerimus alteram, quam libri scripti Casauboni, duoque Itali (Stroz. et Venet) dant: νυν δε και ερια. Alterum illud, omisso και, si malueris, post μαλλον insere καλλίω, quam vocem praecedentis similitudo textu pepulit, et locum ita lege: νυν δε ερια μαλλον, καλλιω των (sc. εριων) Κοραξων, i e nunc lanae potius inde veniunt, pulcriores lanis Coraxorum. Alterum hoc, inserto και, si praetuleris, vox μαλλον pro corrupta habenda et mutanda erit in καλλίω, ita quidem: νυν δε και ερια, καλλιω των (sc. εριων) Κοραξων, i. e. nunc lanae quoque inde veniunt, pulcriores lanis Coraxorum. In utraque tamen lectione substantivum nomen Κοραξων paulo durius dici fateor pro adiectivo Κοραξικων, quod equidem praetulerim, ne quis lanam ipsis Coraxis pulcriorem sibi fingat; nam ellipsis, qua usus sum, admodum dura est. Sed satis apte, sensu parum diverso, ita quoque: νυν δε και ερια, εναμιλλα τοις των Κοραξων. Quam secundo loco posui, praeferenda videri potest ratio. Primo enim vestium pannique importatio, quam Strabonis aetate plane cessasse vix credibile est, quamque ipse Strabo agnoscere videtur, dum paulo infra: ὑπερβολη δε, ait, και των λεπτων ὑφασματων, ita non excluditur; deinde vox καλλιω, in qua velut summa rei versatur, quaque locus aegre careat, vim suam ostendit. Adiicitur enim: και ὑπερβολη τις εστι του καλλους, i. e. et profecto summa est et incomparabilis huius lanae pulcritudo. Nonne ipse Strabo, ita se scripsisse, clamare videtur? Ceterum textum Coraianum vulgatam lectionem servare demiror.

60. ἅπερ οἱ Σαλτιηται κατασκευαζουσιν.

Tenuissima lanarum texta, quae Saltiatae conficiunt, praedicantur. At quinam sint isti Saltiatae, nemo profecto dixerit, et ipse Casaubonus adhuc se quaerere fatetur, intereaque legere suadet Σεταβηται. Setabis s. Saetabis, (hodie Xativa et Sant-Phelipe dicta), haud procul a Sucrone fluvio sita, urbs Contestanorum notissima, cuius et Strabo meminit infra p. 160 Cas. c. 4. §. 9. Egregia ibi et tenuissima texebantur lintea, Emporitanorum linteis haud deteriora, quare Plin. XIX, c. 1.: regione Alliana, ait, ubi a Setabi tertia in Europa lino palma. Pariter sudaria Saetaba laudantur Catullo, Epigr. 25, 7. Summis vero, ut poeta, Saetabitarum lintea laudibus extollit Sil. Ital. III, 373 seqq. Sed ne multa; infelicissime enim in Saetabin urbem incidit Casaubonus, non animadvertens, de lana textisque laneis Auctorem loqui, minime vero de lino et linteis, quorum in toto loco ne vestigium quidem est. Quodsi enim λεπτα ὑφασματα texta lintea intelligi Strabo vellet, id iam, quum hucusque de lana et lanificio disseruit, expressis verbis declarandum erat. Contra vero, ubi lanae praestantiam laudavit, statim iisdem fere verbis των λεπτων ὑφασματων praestantiam extollit. Quis igitur haec quoque tenuia texta lanea, non lintea, intelligi eum velle dubitabit?

Quae quum ita sint, missis Saetabitis, corrupti nominis medela aliunde quaerenda erat. Primum incidi in Saldubam, Bastulorum urbem in ora maritima, Straboni quidem non memoratam, neque tamen ignobilem, neque Ptolemaeo, Melae et Plinio praetermissam. Quin etiam Caesaraugustam (nunc Saragossam dicunt), clarissimam Edetanorum urbem, Saldubam olim vocitatam fuisse, e Plinii lib. III. c. 4. 3 constat. Quare haec quoque huc fortasse vocari posset, nisi Saldubae nomen Strabonis aetate dudum obsolevisset. Hic enim p. 151 Cas. c. 2 extr. et p. 162. c. 4. §. 13 Caesaraugustae tantum nomen agnoscit. Itaque Bastulorum istam Saldubam maxime respiciens depravatum Saltiatarum nomen in Σαλδουβηται vel Σαλδυβηται transformari posse olim putabam. At quod imprimis obstabat, quo mi-

nus rem acu tetigisse mihi viderer, nullius auctoritate emendationem istam confirmare poteram; nusquam enim de Saldubetarum lanificio et subtilibus textis quicquam me legere memini. Igitur hos quoque missos feci. Iamque in eo eram, ut de aegroti nominis sanatione desperarem, quum felicissimo casu in Plinii locum deferrer, ubi lib. VIII. c. 73 48. de variis lanarum generibus laneisque texturis disserens: Istriae, ait, Liburniaeque lana pilo propior, quam lanae, pexis aliena vestibus, et quam Salacia scutulato textu commendat in Lusitania." Scutulata opera, ut obiter moneam, sunt crebris scutulis, laterculis, quadris, cuneis, orbiculis aliisque figuris, praescripta lege se excipientibus, distincta atque exornata, cuiusmodi in linteis quoque reticulatis operibus (nobis Damast-Drell) cernimus. Iam igitur invenisse me arbitrabar, quod diu frustra quaesieram. Salaciatae inquam, Σαλακιῆται sunt, qui sub mendaci Saltiatarum persona satis diu personati latuerunt, tandemque almam coeli lucem adspiciunt. Eadem hos Salaciatas calamitate fortassis iterum premi, infra ad p. 151 Cas. c. 3 init. monstrabimus, ubi sub corrupta voce λακεια Salaciae urbis nomen latere potest. Singulari casu nonnunquam ita contingit, ut nomen aliquod, quoties occurrat, numquam recte scriptum possit inveniri, cuius rei memorabile exemplum in Castulone oppido supra ad p. 142. c. 2. §. 3. notavimus. Salacia autem Lusitaniae urbs satis nobilis, quippe adeo Imperatoria cognominata (Plin. IV. c. 35. 22.), ab Evora occasum versus haud procul ab Tagi ostiis sita, Ptolemaeo, Melae aliisque memoratur. Proprie quidem de Baeticae lanificiis agit Geographus; id tamen non obstat, quo minus finitimae quoque Lusitaniae urbem ὡς εν παρόδῳ nominet, quae lanificio artificiosissimo adeo inclaruerat, ut silentio eam praeterire vel nefas esset. Ceterum ne quis hanc emendationem vanam alucinationem adpellet, magna eam auctoritate confirmare possum Harduini, qui dudum eosdem Salaciatas Straboni reddidit. Is enim in Not. et Emendatt. ad lib. VIII. nr. 153, reiecta Casauboni coniectura, quam satis confidentem adpellat, locum nostrum Strabonianum de Salacia Pliniana accipit, et ut Plinio Stra-

bonem, ita Straboni Plinium testem facit. Harduino igitur loci feliciter sanati merita debetur laus, etsi et ipse ante perlectas eius notas non dubitarem, quin ex solis Plinianis Salacinis corruptae vocis Strabonianae remedium esset petendum.

61. Των δ' ολεθριων θηριων σπανις, —

Vocem θηριων, quam plurimi codd. et editt. Casaub. et Alm. omittunt, ex Mss. Reg. Stroz. et editt. veteribus merito textui restituit Siebenkeesius. In oculos incurrit, quomodo omissa sit. Scilicet librarius, ubi exaraverat θριων, θηριων quoque exarasse sibi visus est. Talia centies occurrunt.

62. λεβηριδας —

Cod. Stroz. habet λεβοριδας, et rectius quidem, etymon si spectaverimus. Graecorum enim antiqua vox λεπορις vel λεβορις esse videtur, quae Romam quoque commigravit, leporem sive lepusculum antiquitus significans. Hinc Varro de r. r. III. c. 12.: Ego arbitror, dictum leporem a Graeco vocabulo antiquo, quod eum Aeoles Boeotii λεποριν appellabant." Idem Varro de l. lat. IV, 25.: Lepus, quod e Siculis quidam Graeci dicunt λεποριν. Cf. Gell. I. c. 18. Igitur utrumque verbum, λεβορις s. λεβηρις et Romanorum lepus, non minus cognatum est, quam ipse lepus cuniculo. Corains quidem dedit λεβοριδας; sed utrumque in usu erat, inprimis apud Massilienses, qui cuniculos ita vocitabant; illos igitur Strabo innuere videtur. Cf. Etymol. magn. et Erotian. Glossar. Hippocratis; etiam Salmas. Plin. Exercit. p. 200 sqq.

Paulo infra vulgo legitur μη δυναμενων, quasi cuniculi resistere non potuissent hominibus. Imo Baleares homines cuniculis resistere se posse negabant. Igitur cum Siebenkeesii omnibus codicibus legendum est μη δυναμενοι. Mallem tamen δυναμενους, i. e. neque enim se posse resistere; nisi per attractionem nominativum cum accusativo idem valere dixeris, ut §. 5. διενεχθεις dictum est pro διενεχθεντα.

63. φθορον δε τινι λοιμικη καταστασει, —

Ita omnes, puto, editi legunt ante Siebenkeesium, ineptissime; nam vox φθόρον sensu plane caret. Quare Sieb. lectionem Mss. Casaub. Stroz. Venet. secutus, recepit ὡρῶν, i. e. temperies coeli s. aeris. Praeterea cod. Reg. Paris. habet θεωρῶν, quod pariter falsum est atque vulgatum φθορον. Casaubonus legi vult αέρων, quam coniecturam, quantumvis commendet, multum tamen abest, ut probare possimus. Primo quidem adspectu satis bene convenire videtur αερων (vel potius αερος; etsi plurali quoque numero interdum occurrat, ut apud ipsum Strab. IV. c. 5. §. 2.: οἱ αερες, et Diod. Sic. V. p. 240, 348. ed. Rhod.: αερων κρασει) λοιμικη καταστασις, aer corruptus atque pestilens, qualem Diodorus aliique λοιμικην αερος καταστασιν vel περιστασιν dicunt. Sic Diodorus V. p. 239. 347. Rhod: recte: λοιμικη καταστασις επειχε τας πολεις δια την του αερος φθοραν. Sed hoc loco, nostro licet videatur simillimus, neutiquam efficitur, Strabonem quoque de aere corrupto et pestilente loqui. Plura praeterea sunt, de quibus cum Casaubono altercandum erit. Primo aeris pestilentiam a Strabone tamquam causam proferri affirmat, cur magna repente copia serpentum et murium terrestrium exsistat; quod verum esse ait, neque vero id umquam contingere, quin vere sit ἡ του αερος καταστασις λοιμικη. At neutrum concedo. Illud neque affirmat Strabo, neque, si affirmaret, verum esset. Strabonis verba: τοσουτος πολεμος ουκ αει συμβαινει, αερος δε (fac enim, ita scriptum esse) τινι λοιμικη καταστασει, καθαπερ οφεων και μυων των αρουραιων id neutiquam exprimunt, quod vult Casaubonus. Nam καθαπερ valet ut, exempli causa. Igitur tantum bellum, ait, non semper accidit, sed pestilenti quadam aeris temperie, ut serpentum et murium. Quod quid sibi velit, equidem non assequor. Sed fac, idem affirmare Strabonem, quod vult Casaubonus, naturae et experientiae cummaxime contradiceret. Aeris enim temperiem ad augenda vel minuenda insectorum, amphibiorum vermiumque nonnulla genera multum valere etsi lubenter concedam, neutiquam tamen inde efficitur, magnam repente animalculorum istorum copiam num-

quam contingere, quin vere sit aer corruptus atque pestilens. Aeris pestilentia, inquam, ut animalia ista insolito more increbrescant, non opus est; et re vera saepe increbrescunt non praecedente aeris pestilente calamitate. Imo sequi potius solere et effici ex immani eorum adauctu et exsuperante copia corruptionem aeris et morbos pestiferos, magis consentaneum est et rerum usu probatur, cuiusmodi exemplum de muribus agrestibus infra p. 165 Cas. c 4. §. 19. ipse Strabo affert, dum ait: ουδε το των μυων πληθος ιδιον, αφ᾽ οὑ και λοιμικαι νοσοι πολλακις ηκολουθησαν. Sed eandem istam esse causam, cur abundent aliquando et cuniculi, non facile sibi persuaderi, ipse fatetur Casaubonus; id tamen censere Strabonem, qui infra hoc eodem libro hoc repetat. Sed ne id quidem verum est; nam neque in loco modo excitato, quem respexisse videtur Casaubonus, neque uspiam alibi (cf. p. 168 Cas. c. 5. §. 2.) Strabo illud repetit. Igitur vel ista confessio de emendatione sua suspicionem et dubium excitare potuisset Casaubono, dummodo rem ipsam diligentius perpendisset, et loca Strabonis, de quibus agitur, accuratius inspexisset. Nam αερων re vera infelicissima est emendatio, quam, ut ostendi, sententiarum nexus neutiquam admittit. Idem de Siebenkeesiana lectione ὡρῶν iudicandum erit; etsi in nonnullis libris scriptis inveniatur, et a Cor. adoptata sit. Nam αἱ ὡραι h. l. idem significarent ac οἱ αερες, n. tempestatem, aeris temperiem, quem dicendi usum pluribus exemplis firmavit Siebelis ad Hellen. p. 352.

Iam igitur, ut rem expediam, si quam λοιμικην καταστασιν cogitari Geographus vult, cuius exemplum (καθαπερ) serpentes muresque afferri queant, sub corruptis istis φθορον, ὡρων, θεωρων universalior quaedam, eaque animalibus istis affinis notio latere utique necesse est. Atqui nulla facile excogitabitur, quae magis conveniat, quam ipsa animalium notio. Igitur θηριων genuinam Strabonis scripturam fuisse praestare eo magis ausim, quo propius ad corrupta ista φθορον et θεωρων vox θηριων accedat. Ita locum emendandum esse, dudum vidit Siebenkeesius, quasi leni voce interrogans:

an forte θηρίων? Certissime θηρίων, nec quicquam aliud. Inter pauca illa (nam admodum pauca sunt), quae vir iste doctissimus de textu Strabonis emendando bene meruit, huic coniecturae haud cunctanter palmam defero. Ceterum ne quis ambigat, quomodo θηριων λοιμικη καταστασις, i. e. animalium pestilens dispositio et corruptio dicatur, meminisse iuvabit, ubi exsuperante et insolita copia animalia quaedam adeo increbruerunt, ut satis divastatis fructuum calamitatem efficiant, qua homines fame perire cogantur, morbos insuper pestiferos exoriri solere, horumque vim eo magis ingravescere, quo facilius, exanimatis subito animalium istorum innumeris agminibus, ex putrescentibus cadaveribus et ipsius aeris corruptio accedat, quae morbi contagium adiuvet latiusque divulget. Tale igitur tamque perniciosum animalium incrementum, ex quo pestifera hominibus calamitas exsistat, nonne θηριων τινα λοιμικην καταστασιν, pestilentem animalium dispositionem et corruptionem iure meritoque Strabo dixerit?

64. ἃς ἡ Λιβυη φερει, φερουσι επιτηδες· —

Ita omnes editi praeter Sieb. qui ex codd. Stroz. Vat. A. Venet. ἃς ἡ Λιβυη τρεφει recepit. Vetus quoque interpres ita legisse videtur, vertens: quas educat Africa, afferunt. Ferri quidem potest ea lectio (at vulgatum illud φερει φερουσι mendosum est); rectius tamen cum Casaubono legitur ἃς ἡ Λιβυη φερει, τρεφουσιν. Libya enim profert (ut seq. §. 7.: ἡ Σαρδω φερει) mustelas istas feras (Mustela Furo Linn. nobis Frettel, Frettchen), quas Iberi transportant et alunt, et ad venandos cuniculos fingunt et erudiunt. Hi igitur τρεφουσιν επιτηδες, sicque Strabonem, si quidem accurate loqui vellet, scripsisse arbitror. Praeterea in omnibus γαλὰς invenio; imo γαλᾶς, nam contracta forma est ex γαλέας.

65. οὓς αν καταλαβουσιν, —

Imo καταλαβωσιν. Mendum illud per omnes libros editos, excepto Coraiano, propagatum inveni.

p. 145 66. *το μεγεθος και το πληθος των ναυκληρων·* —

Iocularis utique et ridicula lectio! Quasi vero Turditani naucleri gigantes fuerint! Sed vel ipsi libri scripti Casaub. et nonnulli Italici veram lectionem *ναυκληρίων*, i. e. navium onerariarum, exhibent, ut eo magis a Cas. et Sieb. monstrosos istos gigantas servatos mirer. De frequenti harum et similium vocum confusione vide, quae supra monui ad c. 2. §. 4. nr. 40.

67. *εναμιλλον τοις Λιβυκοις.*

Addunt editi *εκ πολλαπλασιασεως*, pro quo scripti nonnulli apud Casaub. *εκ πολλαπλασιασις*. At in libris Italicis nil tale se reperisse testatur Siebenkeesius, quare verbum sesquipedale tamquam inutile pondus merito resecuit. Namque sensum pessime turbat, contradictionem efficiens. Quodsi enim Ibericarum navium numerus tantum non aequalis fuit Libycarum numero, de numero multiplicato ne cogitari quidem potest. Stolidi glossatoris fetus erat.

§. 7.

68. *απο της αλεης της εξωθεν παλαιας,* —

Ita constanter omnes libri, et scripti et editi; at sensu nullo. Nam externi maris vetustum fervorem et antiquum calorem ambo interpretes sibi habeant. Egregie locum illustrant et ad explorandam Strabonis scripturam faciunt loca Plinii et Aristotelis, a Casaubono huc advocata, quorum ille lib. IX. c. 20. 15.: Tempore hiberno thynni latent in gurgitibus imis, nisi tepore aliquo evocati; hic vero in Hist. Animal. VIII. c. 19.: *χαιρουσι δε οἱ θυννοι μαλιστα των ιχθυων τῃ αλεᾳ, και προς την αμμον την προς τῃ γῃ προσχωρουσι, της αλεας ἑνεκεν, ὁτι θερμαινονται.* Philosophi verba repetit Athen. Deipn. VII. c. 14. p. 301 (c. 63. ed. Schweigh.): *χαιρει δε αλεᾳ· διο και προς την αμμον προσεισι.* Optime igitur locum ita restituit Casaubonus: *ὑπο* (agitur enim de causa efficiente) *της αλεης της εξωθεν παραλιας.* Praeterea

haec verba, incisione deleta post δευρο, iungenda sunt praecedentibus, ne thynni, quod Xylander et Penzelius volunt, tepore crassi at pingues fiant. Ceterum quod vocem αλέης tanquam vitiosam damnat Siebenkeesius, proque ea ἄλειας scribendum suspicatur, quod sequentia postulare videantur, quid sibi velit, equidem non assequor; sed loci sensum eum plane praeteriisse, id bene assequor. Interim αλέης et ipse damno, quippe formam Ionicam, qua Strabo abstinet, qui certissime scripsit αλέας; nam την αλεαν (Jonice την αλεην) calorem esse constat. Miram vero lectionem Coraius excogitavit: απο της αλλης της εξωθεν παραλιας, quam non capio; capio quidem, sed nihilo secius non capio. Imitatus est verba §. 6.: αλλα και εκ της αλλης της εκτος Στηλων παραλιας. Sed magna est utriusque loci differentia; isto enim loco oppositionem faciunt τοις: ουκ ενθεν μονον; hic vero admodum languent, imo sensu carent.

69. ἀδροτατον δ᾽ εκφερουση καρπον· —

Libri Casauboniani perperam: πολυν δ᾽ εκφερουσι καρπον. Vox πολυν, quam etiam codd. Vat. A et Ven. exhibent, ex glossa manasse recte videtur Casaubono, ipsam tamen interpretationem non improbans; το πολυ enim Strabonem indicare voluisse potius, quam το μεγα. Addere potuisset, quod paulo infra glandium multitudo expresse memoratur. Nihilominus, ut glossa ista verum Strabonis sensum expresserit, vereor. Nam paulo post haec quoque leguntur: ἡ δ᾽ εντος Στηλων (sc. βαλανος) ελαττων αει και μαλλον ευρισκεται, i. e. intra Columnas glans ista semper minor invenitur. Igitur extra Columnas maior, et, omissa comparatione, magna fuerit necesse est. Accedit, quod apud scriptores veteres το ἁδρον non tam το πολυ, quam το μεγα, magnum et robustum, significet, quamquam Hesychio et Suidae utrumque valeat. Strabo itaque ἁδροτατον καρπον fructum praegrandem et quasi robustum intellexit, etiamsi ilicis huius glandes aliarum ilicum glandibus revera maiores esse equidem nec noverim nec contenderim.

70. εξαιρουμενη δε εκ θαμνου, ταπεινης ηττον· —

Ilicem istam χαμαιζηλον tamquam arborem non admodum altam, vel frutici similem describit Geographus. Igitur vox εξαιρουμενη, i. e. exemta, extracta, huic sensui aliena, mutanda utique est in αξαιρομενη, i. e. quae assurgit sive extollitur. Debetur verissima haec emendatio Salmasio, in Solin. p. 962. Nihilo minus loci sensum Vir summus non penitus perspexit, quem ita exprimit: Minus alte e terra attollitur, quam humilis frutex quilibet; quare Graeca ita legit: εξαιρομενη δε θαμνου ταπεινης ἡττον. Quae ratio, etiam Coraio temere adoptata, minime ferenda est, quum dici nequeat ὁ θαμνος ταπεινη, nisi Diodori (II. p. 93. p. 132 ed. Rhod. c. 49. Bip.) βαθειας θαμνους, quas et ipsas dubiae esse fidei et in βαθεις θαμνους refingendas arbitror, in auxilium vocare velimus. Praeterea ταπεινης (sc. δρυος) ἡττον aperte opponitur antecedenti τελεια δρυΐ. Quare vulgatam omnium librorum lectionem εκ θαμνου, ταπεινης ἡττον Straboni iure vindico. Θαμνος h. l. ramos arboris significat; εκ θαμνου igitur paulo insolentius dicitur pro συν θαμνῳ. Ilex enim ista inde a frutice et ramis, i. e. cum frutice et ramis, minus alte extollitur, quam humilis ilex. Sic arborem saltem servamus; Salmasius vero ex arbore fecit fruticem humili frutice humiliorem, qui sane nihili erat.

71. πληρη την παραλιαν ειναι —

Quanam re referta ora sit, non legitur. Τον καρπον huc repetere non licet; sequitur enim ἡν εκβαλλουσιν, et dein ἡ δ᾽ εντος. Quare ante ειναι excidisse βαλανου, apertum est. Nemini hoc animadversum esse demiror praeter Guarinum, qui bene vertit: ut litora glande referta sint.

Quae mox sequuntur verba: ἡ δ᾽ εντος Στηλων, ελαττων αει και μαλλον εὑρισκεται, in nonnullis antiquis libris desiderari testatur Casaubonus. Idem de codd. Bemb. Stroz. Ven. nunciat Siebenkeesius. Sine dubio genuina sunt; quia vero librario vel viro docto cuidam obscura videbantur, omissa.

72. *ειναι τε παραθαλαττιον το ζωον τουτο·* —

Thynnum vocat animal, quod iuxta mare degat. Imo in mari degit. Sed ne hoc quidem docere vult Polybius. Verba aperte corrupta sunt, sed, etiamsi nullum aliunde advocari possit auxilium, vel ex iis ipsis, quae sequuntur, emendatu facillima. Scilicet comparari thynnum cum alio quodam animali, quod et ipsum glande delectetur et admodum pinguescat, ex sequentibus satis patet. Id animal suem esse, quisque facile perspiciet, neque dubitabit, quin *ὑν θαλαττιον* thynnum Auctor vocaverit. Iam ecce! Polybium re vera suem marinum vocasse thynnum, ab Athenaeo in Deipn. VII. c. 14. p. 302 (c. 64. ed. Schweigh.) edocemur, qui de thynno varia disputans inter alia hunc ipsum Polybii locum, quo et Strabo utitur, ipsius fere verbis afferens: *βαλανοι εισι*, ait, *κατα βαθος εν τη αυτοθι θαλαττη πεφυτευμεναι, ὡν τον καρπον σιτουμενους τους θυννους πιαινεσθαι. Διοπερ ουκ αν ἁμαρτοι τις λεγων, ὑς ειναι θαλαττιους τους θυννους. Εισι γαρ οἱ θυννοι οἱον ὑες, απο των βαλανων αυξανομενοι.* Eandem rem iisdem fere verbis ex Athenaeo repetitam ab Eustathio legimus in Schol. ad Il. Ξ. p. 989. Igitur verba Auctoris nostri satis bene dudum correxit Casaubonus: *ειναι τε ὑν θαλαττιον το ζωον τουτο.* Melius tamen post illum Tyrwhittus (Coniectur. in Strab. p. 11) antiquae lectionis elementa servavit, ita scribens: *ειναι τε αρα θαλαττιον ὑν* etc. Praecedens syllaba *ον* fraudi fuit somnolento librario, qui quum illam scripsisset, sequentem quoque voculam *ὑν* se scripsisse putabat. Aliquando ego ita suspicabar: *ειναι τε ὡσπερ θαλαττιον ὑν.* Praefero tamen Tyrwhitti emendationem, quam etiam a Schweighausero in fragmentis Polybianis (Adnotat. in Polyb. XXXIV. c. 8.) receptam video.

Coraïum autem, qua de causa a verissima ista et ipsorum veterum locis probata emendatione recesserit, et novam potius eandemque parum commendabilem lectionem textui intulerit (*ειναι τε παρα τἀλλα πιον το ζωον τουτο*), admodum miror. Prae ceteris hoc animal pingue esse, quia glande querna pinguescat, lubenter quidem credimus; sed observationem adeo otiosam et languentem Polybio notatu dignam fuisse visam, non credimus.

§. 8.

p. 146 73. Τοσουτοις δε της προειρημενης χωρας αγαθοις κεχορηγημενοις, —

Ultima vox mendo laborat. Χορηγεω est suppedito, instruo; κεχορηγημαι, mihi suppeditatur, instructus sum, abundo. Non igitur τα αγαθα κεχορηγηται, sed χωρα κεχορηγηται αγαθοις, terra bonis instructa est et abundat. Quare haud cunctanter rescripsi κεχορηγημενης, quod auctoritas edit. Bas. Hopperi, et nunc etiam Coraii, confirmat. Similiter Strab. XVII. p. 826 Cas. c. 3. §. 4.: την Μαυρουσιαν ποταμοις τε και λιμναις κεχορηγησθαι. Unde mendum illud irrepserit in utramque Casaubonianam, miror. Propagatum deinde est in edit. Almel. et Siebenk.

Post verba, quae continuo sequuntur: ουχ ἡκιστα, antiquiores libri editi addunt αλλα και μαλιστα; quae verba ut glossema grammatistae cuiusdam deleri Casaubonus iussit et textu eiecit, in libris suis nihil tale apparere testatus. Sed in codd. Reg. Paris. et Veneto ea reperit Siebenkeesius. Abesse quidem posse fateor, quum ουχ ἡκιστα iam per se exprimat το μαλιστα, de quo cf. Matthiae Gr. Gr. §. 463. Similiter Strab. IV. p. 188 Cas. c. 1. §. 14.: ουκ ελαχιστον μερος, ubi addi poterat: αλλα και μεγιστον. Verumtamen quum Auctoris sententiam egregie firment et adaugeant, excidisse ea potius e veteribus libris, quam ab aliena manu inserta esse crediderim. Amant Graeci fortiorem eiusmodi affirmationem ex adiecto opposito, ut Herodot. II. c. 43.: ουχ ἡκιστα, αλλα μαλιστα. Thucyd. VII. c. 44.: μεγιστον δε και ουχ ἡκιστα εβλαψεν. Od ρ, 415: ου γαρ μοι δοκεεις ὁ κακιστος Αχαιων εμμεναι, αλλ' ὡριστος. Quare cum Coraio verba ista restitui. Cf. supra p. 142 Cas. extr.

Paulo post e codd. suis Casaubonus bene recepit: Σπανιον δ' εν αμφοτεροις ευτυχειν, i. e. rarum est, in utraque re, et metallis et frugibus, felicem sive feracem esse. Antea perperam legebatur: σπανιον — τυχειν. Prius suspicatus erat αμφοτεροις επιτυχειν, in utrumque incidere, ut apud Diod. Sic. lib. V.: τοις καρποις επιτυγχανειν, quod parum placet. Multo magis arridet, quod in margine edit. Bas. sive varians lectio sive glossema tantum sit,

adscriptum reperio: Σπανιον γαρ (leg. δε) αμφοτερων τυχειν, i. e. raro autem utrumque assequi datur, eodem fere sensu, quem recepta lectio fundit.

74. εξηταστιαι γεννωμενος —

Optime ita auctoribus libris Casaubonus; vulgo γενομενος. Γενναςθαι, ut Romanorum nasci, Graecis dici de metallis, in vulgus notum est. Supra p. 142. c. 2. §. 3.: χαλκος τε ἁμα γενναται και χρυσος. Similiter infra p. 147. §. 9. de stanno. Editio Siebenkeesii, quam officinae peccata sat multa deturpant, exhibet γενωμενος. Sic hac ipsa sectione βωλος pro βωλους, λιγνην pro λιγνυν, χρυσίτιν pro χρυσῖτιν.

Paulo ante editi habent: ουτε γαρ χρυσος, ουκ αργυρος etc. Lego ουτ᾽ αργυρος, nec aurum, nec argentum. Coraii lectio: ου γαρ χρυσος, ουκ αργυρος minus placet.

75. των χρυσορυχειων —

Ita omnes, quos inspexi, editi exhibent per ο in secunda syllaba; et ita in codd. suis scriptum reperit Casaubonus. Neque aliter lib. XV. p. 718 Cas. c. 1. §. 69. των χρυσορυχων. Improbanda utique haec ratio est cum Henr. Stephano in Thes. IV. p. 655, quum neque ceterarum huiusmodi vocum analogiae, neque derivationi respondeat, quae ω poscit. Nam derivatio fit a perfecto ωρυχα. Quare recte scribitur χρυσωρυχος, χρυσωρυχιον, χρυσωρυχία, χρυσωρυχεω, τοιχωρυχος, τυμβωρυχος, et quae id genus plura sunt. At χρυσορυκτης per ο, quia non est ab ωρυχα. Quare χρυσορυκτης istarum vocum scripturam per ο minime confirmat, ut vult Casaubonus. Iam igitur, quum et ipse Strabo lib. V. p. 218 Cas. c. 1. §. 12. recte scripserit χρυσωρυχιον, hic etiam χρυσωρυχειων, et lib. XV. l. c. χρυσωρυχων, si quidem secum ipso et grammatica lege convenerit, scripsisse putandus est. Quare librariorum sphalma sustuli. Idem Coraius fecit.

76. το μεντοι πλειον κᾀντευθεν ευδοκιμει.

Haec verba Strabo addit, ut vanam Gallorum de praestantia suorum metallorum opinionem refutet. Ple-

rumque tamen, ait, i. e. a plurimis ea quoque, quae hinc (ex Iberia) veniunt, metalla laudantur. Igitur nihil amplius? Egregia vero metallorum Ibericorum, quae omnia omnium terrarum metalla bonitate antecellere ipse professus est, laus et praedicatio! Adeo sensum infirmat et detorquet unum illud και, quod in κἀντευθεν (saltem scribendum erat κἀντευθεν) latet. Praeterea orationis subiectum deesse, male me habet. Nam Xylandri versio: maior pars laudatur" prorsus nihili est. Una tamen mutata literula genuinus, quem locus poscit, sensus restituitur; modo legamus τἀντευθεν, i. e. τα εντευθεν μεταλλα. Ait igitur: at vero a plurimis s. plerumque (nam το πλειον adverbialiter sumendum) metalla, quae hinc (ex Iberia) veniunt, probantur et praeferuntur. Nunc Coraium quoque mecum sentientem habeo.

77. ευδιαχυτος γαρ ὁ τυπος και λιθωδης· —

Ecce iterum locum unum de multis, quem interpretum socordia, quasi omnia expedita essent, plane intactum reliquit, nisi quod solus Salmasius in Exercit. Plin. p. 1081, casu in eum delatus alterum certe mendum (nam duo insunt) bene et feliciter sustulit. Est sane referendus inter impeditissimos, quum emendandi ratio ab interpretatione et eorum, quae antecedunt, et eorum, quae sequuntur, pendeat, praetereaque quaeri possit, Strabonem utrum vera an falsa enarrantem habere velimus. Copiosiorem harum rerum expositionem, quum non sit huius loci, omitto; hic breviter tantum moneo, pro τυπος, quae vox, quamquam a Coraio servata, commodo sensu prorsus caret, legendum esse χρυσος, aut (quod idem est, quia χρυσος proxime antecessit) cum Salmasio οὗτος. Ita aurum facile fundi et liquefieri dicitur, quod cum veritate licet minime congruum, ea, quae sequuntur, utique postulant: propterea aurum palea potius liquefieri solet." Idem legitur in Plinio, XXXIII, c. 19. 3. At quae antecedunt et vera utriusque metalli natura τον αργυρον potius postulare videntur; neque audiendus est Salmasius, qui Aurum, ait, mollioris naturae ad fusuram, ac de

facili liquatur; contra argentum difficilius et magis invictum ignibus." Sed cum Strabone nostro et ipse egregie fallitur; nam contra est. Strabonis igitur sententia, licet falsa sit, haec est: argentum, quippe igni magis resistens, comburi et absumi (*αποκαιεσθαι*); aurum vero, quippe facilius liquatu, manere et liquefieri. Quare quin *ὁ τυπος* mutandus sit in *ὁ χρυσος* vel *οὑτος*, nullus dubito.

Iam vero *χρυσος λιθωδης*, aurum lapidosum vel lapideum, quid significat? Absque dubio perversam habemus vocem pro alia, quae auri naturam facile fusilem et solubilem iterum exprimebat, idem fere significans, quod antecedens *ευδιαχυτος*. Neque hoc latuit Salmasium, qui vestigia perversae lectionis presse sequens reposuit *λυτωδης*, i. e. solubilis, quod temere textui suo intulit Siebenkeesius. Nam hanc vocem, omni fide carentem omnibusque exsulantem lexicis, ipse demum Salmasius procudisse videtur; quare novum huncce numum merito respuimus, nitidus typus quantumvis arrideat. Res solubilis veteribus dicebatur *λυτος*, *λυσιμος*, *ευλυτος*. Ultima voce usum fuisse Strabonem suspicor, quippe apprime respondente praecedenti *ευδιαχυτος*. Quare hanc praetuli; unam enim de tribus eligere necesse erat.

Coraius vero dedit *λιπωδης*, pinguis vel pinguedini similis. Quomodo autem *τον τυπον λιπωδη* intelligat et explicet, quum eius versio et *σημειωσεις* nondum ad manus sint, scire cupio; interim me non intelligere, ingenue fateor. — Paulo infra vero pro *επαναλισκει*, i. e. insuper insumit, optime dedit *απαναλισκει*, absumit, consumit. Vitium illud, quod omnes editos obsedit, mihi se subduxerat.

78. Ev *δε τοις ῥειθροις συρεται* —

Verissima haec et felicissima emendatio sagacitati debetur Casauboni, quum antea ineptissime legeretur: *εν δε τοις Ερυθροις*. Quis umquam de Erythris audivit in Hispania? *Τα ῥειθρα* fluviorum alvei sunt, in quibus auri ramenta verruntur et hauriuntur, deinde iuxta la-

vuntur in scaphis. Prius putaverat Casaubonus, legi quoque posse ἐν Ἀρταβροις. Commendari haec suspicio poterat loco simillimo p. 147 Cas. §. 9., ubi Artabrorum auri fluviatilis lavatio copiosius describitur. Sed hac ipsa de causa parum probabile fit, eandem rem hic breviter tangi. Deinde quam addit l. c. Artabrorum definitionem: οἱ της Λυσιτανιας ὑστατοι προς αρκτον και δυσιν εισιν, ea hic potius, prima Artabrorum mentione facta, addenda erat. Denique quod iuxta lavari aurum dicitur, non Artabrorum aliusve populi nomen admittit, sed locum, ubi ramenta auri hausta sint, nempe fluviorum alveos, necessario requirit.

Sed de totius loci (εν δε τοις ῥειθροις — πλυνεται) fide est, quod dubitem. Neque enim antecedentibus neque sequentibus bene cohaeret. Scilicet ubi auri liquandi rationem Auctor exposuit, continuo in auri fluviatilis lavationem parum commode incidit, tumque argenti caminos, ad metallorum liquationem rediens, sublimes fieri addit. Praeterea de auro lavando paulo supra copiosius exposuit, neque causa apparet, cur semel dicta hic repetantur. Igitur totus iste locus forte ex alio scriptore primo margini adscriptus, dein vero ab interpolatore quodam textui insertus esse videtur, quo eiecto cetera apte cohaerent.

79. Των δε χαλκουργων τινα καλειται χρυσεια· —

Ὁ χαλκουργος faber aerarius est, isque huic loco alienissimus. Ait enim, aerariarum fodinarum quasdam vocari aurarias, quia antiquitus aurum inde effossum sit. Quare χαλκουργειων scripsit Geographus; neque aliter Coraius dedit. Eiusmodi verba centies permutata inveniri, supra monui ad p. 142 Cas. c. 2. §. 4. nr. 40. Ceterum τα χαλκουργεια h. l. τα χαλκωρυχεια significant. Guarinus recte: aerarias fodinas.

Iam addit: εξ ὡν τεκμαιρονται, χρυσον εξ αυτων ορυττεσθαι προτερον. Legendum potius εξ οὑ τεκμαιρονται. Non enim ex auri fodinis id colligitur, quod vult, sed ex eo, quod fodinis aerariis aurariarum nomen adhaeserit. Igitur pluralis numerus ferri nequit. Alia

ratio ea esset, si quis verba ἐξ αὐτων pro insititiis haberet, quibus deletis ἐξ ὧν recte referretur ad χρυσεια, et oratio aeque bene procederet: ἐξ ὧν τεκμαιρονται χρυσον ορυττεσθαι προτερον, i. e. ex quibus aurum olim effossum fuisse coniiciunt. Utrum eligamus, parum interest. Equidem prius praetuli. Coraius vulgatum servavit.

§. 9.

80. ἡ γη τακεισα, — p. 147

Ineptissima antiquiorum editorum lectio erat ἡ γη τα καινα, neque aliter libri scripti habere videntur, ex quibus nulla affertur lectionis varietas. Veram lectionem, quam praeeunte Siebenkeesio textui inserui, dudum Xylander reperit, commendavitque Casaubonus. Profecto ipsius loci natura ita legi iubet, quum sit terra auro et argento mixta, unde fit, ut liquefiat et diffluat. Haec terra liquefacta in superficiem efferbuisse sive profluxisse recte dicitur, εις την επιφανειαν εξεζεσε. Antiquiores autem editi verbis istis ὑλην praeponunt, quae vox loco suo mota (nam paulo post recte legitur: ὑλην ειναι νομισματος) totam sententiam turbat. Etsi enim verbo εκζεειν vim transitivam, qua pariter ut αναζεειν et αποζεειν fervefacere sive fervescendo eiicere significet, non derogaverim, hic tamen locus vim istam non admittit, quum, qualem ὑλην terra liquefacta eiecerit, vix assequare. Ipsam potius terram liquefactam ebulliisse vult Geographus. Quare hic vocem ὑλην consentientibus libris suis inducendam recte censuit Casaubonus, locoque suo restituendam, quo librariorum perversitas eam pepulit; nimirum, δια το παν ορος και παντα βουνον ὑλην ειναι νομισματος. Pecuniae vero materiam aurum et argentum exquisite dicit rhetor Posidonius. Ita omnia bene habent, neque fides habenda Casaubono, pro δια το legere cupienti δια δη τουτο, i. e. hanc itaque ob causam, quasi effectum istius metallorum profluviei indicare Posidonius velit. Minime vero hercle illud vult; imò causam potius indicat. Scilicet quia omnes per totam fere Iberiam montes atque colles

argenti aurique materie scateant, inde fieri potuisse, ut incensis in Pyrene silvis et terrae superficie exusta metallorum venae liquefactae effervescerent. Ceterum si lubet, conferat Lector Diodorum, eandem rem ex eodem Posidonio, licet nomen eius dissimulet, tractantem, lib V. c. 35 sq. p. 216, 312 ed Rhod. Item Aristot. de Mirab. c. 88. Senecae epist. 90. Lucret. V, v. 1240 sqq. Athen. Deipn. VI. c. 4. p. 233. — Paulo ante editi male habent: Ποσειδώνιος δὲ, ὁ — — ἐπαινῶν, quasi sit Posidonius, ille qui laudat. Est potius Posidonius, dum laudat. Igitur illud ὁ delevi.

81. θησαυροὺς εἶναι φύσεως ἀενάους, ἢ ταμεῖον ἡγεμονίας ἀνεκλειπτον· —

In editis vulgo est ἀέναον et ἀνεκλειπτου, nisi quod Siebenkeesius, lectionem in excerptis Planudaeis praeferens, maluit ἀνεκλειπτον. Utrum θησαυροὺς ἀενάους thesauros semper affluentes, an φύσιν ἀέναον, naturam semper affluentem habeamus, certe idem est; non vero idem, utrum ταμεῖον (ταμιεῖον, Cor.) ἀνεκλειπτον, aerarium numquam deficiens, an ἡγεμονίαν ἀνεκλειπτον, principatum numquam deficientem. Namque ut alterum hocce commodo sensu caret, ita ταμεῖον ἀνεκλειπτον optime dicitur. Libri scripti quid ferant, neque Casaubonus adnotavit, neque Siebenkeesius, nisi quod hic in Planudae Excerptis, quorum alter codex in bibliotheca Vaticana, alter in Parisiensi adservatur, ἀνεκλειπτον legi, ille vero in iisdem Excerptis ἀνεκλειπτους reperisse se testatur. Et ita quidem legi vult Casaubonus, qui in hac voce aut legenda aut scribenda dormitasse paululum videtur; nam admodum prava est lectio, et ferri nequit. Iam vero, quum ταμεῖον ἀνεκλειπτον a Strabone scriptum fuisse nullus dubitem, etiam θησαυροὺς ἀενάους, quod et ipse Casaubonus bene proponit, genuina Strabonis scriptura videtur. Ita demum orationem habemus concinnam et bene compositam, qualis ornato et eleganti Posidonii stylo convenit; quod contra est in lectione Siebenkeesii, quam hercle non agnoscat Posidonius. Ita censuisse Coraius quoque videtur, eandem lectionem amplexus.

82. ὑποπλουτος εστι, —

Communis omnium librorum lectio est ὑποπλουτος ην. Olim igitur dives fuit Iberia? Olim? Quando igitur dives esse desiit? Mehercules nemo, id velle Posidonium, mihi persuadebit. Nonne ipse modo, praesente tempore usus, ibi θησαυρους ειναι affirmavit? Nonne deinceps: παρ᾽ εκεινοις ουχ ὁ Ἁδης, αλλ᾽ ὁ Πλουτων κατοικει? Atqui, si naturae thesauri ibi adhuc sunt, si Pluto ibi adhuc habitat, certe terra non dives olim fuit, sed dives est, πλουσια εστι. Neque aliter verterunt interpretes, sensum recte perspicientes, sed mendo nihil offensi; neque Coraius, vulgatam tenens, offensus est.

83. Και τουτων ουν —

Bene ita Casaubonus scripsit auctoribus libris suis pro vulg. και τουτων νυν, quod absonum erat. Talia, etsi levia sint, indicanda saltem arbitror. Maioris utique diligentiae loca indigent ita foede corrupta et deturpata, ac si scripta essent ab homine mente capto. Huiusmodi est, qui statim sequitur, et cuius verba, ut in libris editis vulgo feruntur, ita habent:

84. και προς τους εν αυταις απαντωντας ποταμους, πολλακις. Ταις Αιγυπτιαις αναντλουνται σκολιαις τον δολον ου τον αυτον ειναι τουτον ποτε τοις Αττικοις.

Utriusque interpretis, et Guarini et Xylandri, versionem latinam his verbis dignissimam adscribere piget. In hoc loco emendando admodum feliciter versatus est Casaubonus, licet non omnia sustulerit menda. Primo incisionem fecit post προς, quod adverbialiter sive absolute dicitur pro προς τουτοις, προσετι, praeterea, porro, insuper. Non admodum rara sunt huius dictionis exempla. Ipse adfert ex Dione, lib. XLVI.: και προς, συνεθεντο. Similiter Strabo, XVI, p. 757 Cas. c. 2. §. 24. de Sidoniis: παραδεδονται καλλιτεχνοι, καθαπερ και ὁ ποιητης δηλοι. προς δε, και φιλοσοφοι. Herodot. I. c. 111.: προς δε, και κλαυθμον; Idem, III. c. 52.: προς δε, ουδε αυτος εδικευεν. Et apud Isaeum: δυο και εικοσι μναι, και προς.

Et apud Aristoph. in Pluto: και προς, επι τουτοις ειπεν. Sed a Coraio το προς prorsus deletum video, quod non probo.

Deinde ex Diodoro, qui ipsa Posidonii verba sua fecit, pro σκολιας optime Casaubonus refinxit κοχλιαις; ita saltem in commentario; nam margini utriusque editionis male adscripsit κοχλεαις, quod textui temere inseruit Siebenkeesius. Nam vox audit ὁ κοχλιας, cochlea, quae est machina ad tollendam aquam, copiose descripta a Vitruvio, X, c. 11. Diodorus autem loco plane gemino, lib. V. c. 37. ita habet: και το παντων παραδοξοτατον· απαρυττουσι (male vulgo απορυττουσι) γαρ τας ρυσεις των ὑδατων τοις Αιγυπτιακοις κοχλιαις, οὓς Αρχιμηδης ὁ Συρακουσιος εὗρεν. Id vero mendi reliquerunt et Cas. et Sieb quod habent ταις Αιγυπτιακαις κοχλιαις; nam est ὁ κοχλιας masculini generis.

Porro vox ανantλουνται mendo laborat, neutri animadverso. Scilicet quum per totum locum non sua ipsius sed Posidonii persona Strabo loquatur, oratio eius, quam indirectam et obliquam vocant, verbo hocce finito subito et pessime interrumpitur, quod eo magis offendit, quum ea, quae continuo sequuntur, iterum, ut fas est, indirecte efferantur. Quare, ut oratio sibi constet, et respondeat praecedenti τεμνοντων, hic absque ulla cunctatione reposui ποταμους αναντλουντων κοχλιαις; iamque et in ed. Coraiana ita lego. Aliter enim Strabo scribere non potuit, nisi si quis in modum imperiti tironis scripsisse eum statuerit. In finalibus vel per compendia vel negligenter scriptis quam saepe peccatum sit, neminem fugit.

Denique quemnam δολον Auctor intelligat, nemo mortalium dixerit. Sed dudum τον λογον, i. e. rationem, Casaubonus reposuit, quam lectionem unice veram primum a Budaeo, deinde in codice Henr. Stephani ex uno exemplari adnotatam repererat. Sed confirmatur haec emendatio codd Ven. et Strozianis, in quibus eandem invenit Siebenkeesius. Neque vox τουτον mendo caret. Non enim iungenda sunt τον λογον τουτον, sed simpliciter τον λογον, i. e. rationem, non eundem esse ait his (Iberiae incolis) et Atticis. Quare

aut cum Tyrwhitto (Coniect. in Strab. p. 12) legendum est τουτων, aut, quod minus placet, cum Casaubono τουτοις. Tandem vero vocula ποτε quid sibi velit nescio. Neque vero idem usu venire illis, Strabo ait, quod quondam Atticis. Cur quondam? De tempore praeterito nec agitur, nec agi potest; antiquitus enim Atticorum metalla, praesertim argenti, ditissima fuerunt. Refert Strabo verba Posidonii, vel potius Demetrii Phalerei ex Posidonio; neuter vero, comparationem metallorum Ibericorum et Atticorum instituens, tempora praeterita respexisse, sed ad sui potius aevi rationem ista comparasse censendus est. Re vera enim, quae hic de metallorum utriusque populi diversa ratione dicuntur, de Posidonii vel ipsius adeo Demetrii aevo intelligenda sunt, quo Atticorum metalla inde a bello Peloponnesio admodum deficere coeperant, quod et ipse Strabo de suo tempore queritur lib. IX. p. 399 Cas. c. 1. §. 23.: τα δ᾽ αργυρεια τα εν τῃ Αττικῃ κατ᾽ αρχας μεν ην αξιολογα, νυνι δ᾽ εκλειπει. Praeterea voculam ποτε, quippe loco alieno positam, ipsa respuit oratio. Contra desideramus copulam vel voculam comparativam, quae τουτων vel τουτοις iungat τοις Αττικοις. Quae quum ita sint, si Casaubonianum τουτοις retinueris, legendum erit τουτοις και τοις Αττικοις. Et ita quidem Coraio placuisse nunc video, qui dedit τουτοις και ποτε τοις Αττικοις. Miror tamen, quomodo illud και in ποτε transire potuerit, quod potius ex vocula προς ortum videtur Quare cum Tyrwhitto equidem malim τουτων, ita tamen, ut legere pergam προς τους Αττικους; nam Tyrwhittus vult τουτων ποτε τοις Αττικοις. De praepositione προς, comparationi inserviente, res nota est.

His ita explicitis, totus locus integritati suae, quantum licuit, restitutus, sic legendus facilisque erit intellectu: — — — τεμνοντων τας συριγγας· και προς, τους εν αυταις απαντωντας ποταμους πολλακις τοις Αιγυπτιοις αναντλουντων κοχλιαις. Τον δε λογον ου τον αυτον ειναι τουτων προς τους Αττικους, i. e. Praeterea quoque aquas in fodinis saepe occurrentes Aegyptiis exhauriant cochleis. Rationem vero minime eandem esse horum Iberorum et Atheniensium.

85. *αινιγματι εοικεναι* —

Aenigma ita sonat: *Ὁσα ανελαβον, ουκ ελαβον, ὁσα δε ειχον, απεβαλον*, i. e Quae receperunt, non ceperunt, quae vero habuerunt, amiserunt. Sententia adeo aperta est, ut Oedipo non indigeat; in verbis quoque nil desideres. Nihilo minus et Casaubonus et Tyrwhittus, invita quidem Minerva, artem suam verbis istis adhibere conati sunt, quam defendere non erit superfluum. Casaubonus legi vult *απελαβον* pro *ανελαβον*, vel ita certe accipi istud *ανελαβον*. Neutrum admitto; nam differunt verba *απολαμβανειν* et *αναλαμβανειν*. Hoc recipere sive iterum capere, illud omnino capere, percipere et frui significat. Igitur quod mutetur, nihil est. Athenienses enim, quum ingentes in argenti fodinas sumtus facerent, neque plus eruerent argenti, quam quod impenderant, recte dicuntur recepisse (*αναλαβειν*) tantummodo impensa, nihil vero cepisse (*λαβειν*) sive profecisse lucri.

Pariter ea, quam Tyrwhittus proposuit, mutatio depravatio potius appellanda est, quam emendatio. Is enim locum ita constituit: *Ὁσα μεν γαρ ελαβον, ανελαβον, φησιν, ουκ ελαβον*, etc. Quae ceperunt, receperunt, non ceperunt. Ita aenigmatis vim penitus infringi, et ipsum adeo aenigma languere vel amitti potius, quem latet? Ita quoque iucundam utriusque aequalitatem perire, quae eiusmodi facete dictis nativum quendam leporem et rythmum fere poeticum addere solet, quis non videt? Sed timuisse Auctor videtur, ut aenigmatis nimis obscuri sensum caperemus; quare auxilium nobis ferendo aenigma ipsum, parum abfuit, quin deleret. Similiter Diodorus lib. V. c. 37. p. 217, p 313 Rhod. et Athenaeus lib. VI. c. 4. p. 233 (c. 23. Schweighaus.) eiusdem aenigmatis ex Posidonio desumti sensum potius, quam formam et leporem referunt. At non ita Strabo noster, cuius verba optime habent, ut quatenus luxata dicantur Wesselingio ad Diod l c. non assequar, nisi quod fortasse Vir doctissimus Diodori et Athenaei verba facilius perspiciebat.

Ceterum ad imitationem veteris cuiusdem aenigmatis, a piscatoribus Homero quondam propositi, compo-

situm esse illud aenigma, facile patet. Si cui Lectorum Homericum illud ignotum forte fuerit, in eoque solvendo ingenii acumen experiri ille voluerit, huic ne desim, en hic verba habeto:

Ἁσσ᾽ ἑλομεν, λιπομεσθ᾽· ἁσσ᾽ ουχ ἑλομεν, φερομεσθα.

Neque clavem, si qua forte indigeat, invidebo. Adeat Herodotum, vit. Hom. c. 35.

86. των δ᾽ αργυρευοντων των ιδιωτων — εξαιροντων.

Male affectum esse hunc locum, facile perspicitur. Dudum de hac lectione questum esse interpretem, ex Casaubono colligo, qui nihil causae fuisse ait, cur quereretur. Etsi quid istud fuerit, quod questus sit, ignorem, at causa querendi certe adest. Primum ipsa oratio inconcinna est, neque rationi grammaticae quidem convenit. Nam genitivi absoluti praecedenti verbo finito εξαγουσι male iunguntur, imo propter particulam δε iuncturam prorsus non admittunt. Itaque vel unum illud δε, nisi delendum censeas, locum in mendo cubare, satis ostendit. Casauboni iudicium non capio, qui, ubi vulgatam lectionem contra interpretis querelam defendit, in Strabone, ait, vetus lectio est εξαιροντων vel εξαιρουντων, non εξαιρουσι, quod rectius est. Atqui εξαιρουσι si rectius est, nominativus praecedat oportet. Sed fac, ferri posse vulgatam, mira certe et incredibilis inde exit sententia. Omnes igitur argenti fodinarum possessores immensos istos percipiebant reditus? Quis credat? Profecto id non voluit Posidonius, sed indicare tantum, quinam summi istarum fodinarum perciperentur reditus. Summi vero non omnium aequales erant, sed e nonnullis tantum percipiebantur; neque deerant, quae minus, aut multo minus, forte nihil quoque, ut fit, suppeditarent lucri. Nonnullos igitur, non omnes fodinarum possessores ternis diebus Euboicum talentum eruisse argenti, Posidonius scripserat. Hoc ipsum, neque quicquam aliud, eum scripsisse, ecce testis Diodorus est, qui lib. V. c 36. p. 316, 312 Rhod. ipsissimis Posidonii verbis utens: Των δ᾽ αργυρευοντων τινες ιδιωτων εν τρισιν ἡμεραις Ευβοϊκον εξαιρουσι ταλαντον, ait. Neque aliter Strabonem Posi-

donii verba transscripsisse, luce clarius est. Igitur pro *τινων εξαιροντων* iure rescripsi *τινες εξαιρουσι*. Idem fecit Coraius. Ceterum falsae lectionis origo facile exploratur. Olim in libris recte legebatur *εξαιρουσι*; postquam vero *τινες* librariorum errore male mutatum esset in *των*, verbum *εξαιρουσι*, quod iungi iam non poterat, in *εξαιροντων* abire quasi coactum est, ut grammatica saltem constaret ratio.

87. *εξανθειν φασιν αργυρειῳ την γην καττιτερῳ, χρυσιῳ λευκῳ· αργυρομιγης γαρ εστι·* —

Plura hisce verbis insunt, quae emendatione egeant. Primo pro *φασιν* scribendum *φησιν*, sc. Posidonius, ex quo haec omnia se habere in fine sectionis Auctor ipse testatur. Deinde *τον αργυρειον καττιτερον* suspectum habeo, et duplici quidem de causa. Sunt quidem *τα αργυρεῖα*, argenti fodinae, admodum nota; etiam *τα αργύρια* nonnumquam ita veniunt, ut in Xenoph. Mem. II, c. 5. III, c. 6. de Vectig. IV, c. 1; et in ipso Nostro lib. IV. p. 191 Cas. c. 2. §. 2., ex vulgata saltem lectione, quam tamen Coraius repudians mutavit in *αργυρεῖα*. De simili multarum vocum variante scriptura bene exposuit d' Orvill. ad Chariton. I. c. 7. p. 83. Sed *αργύρειος, α, ον*, veteribus adiective et cum *αργυρεος, α, ον*, promiscue usitatum fuisse vix crediderim. Leguntur quidem interdum *αργυρεια εργα* vel *αργυρεια μεταλλα*, ut in Xenoph. de Vectig. IV. c. 5.: *εν δε τοις αργυρειοις εργοις*. Demosth. de Cherson. *των εργων των αργυρειων*. Polyb. X. c. 10 et 38. habet *τα αργυρεια μεταλλα*; nec non Thucyd. II. c. 55 et VI. c. 91. Sed utraque dictio, *των αργυρειων* primam quidem originem adiectivam servans, nihil aliud significat, quam argenti fodinas. Igitur *αργύρειος* et *αργύρεος* promiscue dici de metallis argentosis et rebus argenteis, equidem non memini; talia semper dicuntur *αργυρεα*, nisi forte poeta aliquis ab hoc more dicendi metri causa recesserit. Altera, quae stannum argenteum sive argentosum suspectum reddit, causa ea est, quod, quantum equidem sciam, eiusmodi stannum argentosum sive argento mixtum nusquam reperitur. Plumbi quidem aera argentosa

sat multa inveniri, res est notissima, cuius exemplum mox habebimus § 10 extr.; stanni vero vix crediderim. Quod dudum testatus est Plin. XXXIV, 47. 16.: nec ex albo plumbo (stanno) argentum fit, quum fiat ex nigro. Nisi igitur pro stanno plumbum Strabo intellexerit et utrumque commutando erraverit (quod tamen, quum paulo ante de stanno sermo fuerit, nihil habet probabilitatis), ipsam vocem *αργυρειῳ* levi mendo laborare statuendum est. Quam quum mutaverimus in *αργυριῳ*, praemiserimusque voci *χρυσιῳ* copulam *και*, qua utique locus aegre careat, nihil erit, quod nos teneat. Nam de auro, argento aliisque metallis apud Artabros frequentibus iterum Auctor infra meminit p. 154 Cas. c. 3. §. 4. — Denique pro *αργυρομιγης* ultro se offert *αργυρομιγες*; refertur enim ad *χρυσιον λευκον*, quod supra p. 146. §. 8. electri nomine adfuit. Eam vero figuram dicendi, qua Casaubonus vulgatam defendit, dicta *προς το σημαινομενον*, quasi esset *χρυσος* non *χρυσιον*, hanc, inquam, ad illos remitto, qui vitiis grammaticis, tamquam eleganter dictis, delectantur. Quin legis potius *χρυσῳ*, mi Casaubone?

Totus igitur locus ad meam mentem emendatus ita legitur: *εξανθειν φησιν αργυριῳ την γην, καττιτερῳ, και χρυσιῳ λευκῳ· αργυρομιγες γαρ εστι.* Egregie concinentem in loci interpretatione habeo Coraium, nisi quod *αργυρῳ* — *χρυσῳ* — *αργυρομιγης* legere maluerit; praeterea omittit copulam, quod improbo.

88. *εν ηθητηριοις πλεκτοις επι κιστῃ.*

Librorum scriptorum omnium lectionem esse *ἑσθητηριοις*, testatur Siebenkeesius, qui monstrosam hanc vocem textui suo temere inseruit. Neque aliter vetus interpres legit, qui vertit: abluere panno implicitam. Similiter Xylander: lavarique in pannis. Libri autem typis exarati constanter exhibent *ἰsθητηριοις*, quod nescio utrum in codice fuerit, quo editio princeps Aldi usa est, an ex errore typorum eiusdem editionis ortum sit; saltem monstrum est eiusdem farinae. Veram lectionem Casauboni ingenium reperit, quae est vel *ἠθητηριοις*, vel *ἠθιστηριοις*, i. e. instrumentis percolandi, colis. Nam

ἠθεω et ἠθιζω est percolo, inde ὁ ἠθμος et το ἠθητηριον s. ἠθιστηριον, colum Toupio quoque arrisit haec emendatio, in Opusc. crit. I. p. 173. Calathos Plinius habet in re simili, lib. XXXIV. c. 47. 16.

Επι κιστη quoque ex verissima emendatione Casauboni recentiores editores receperunt. Vulgo επι την πιστην, nonnulli codd. επι πιστην. At codd Casaub. et Venet. a vero parum aberrantes, επι κιστει, unde facile erat refingere επι κιστει, super cista vel calatho, cui superimponebatur το ἠθητηριον.

§. 10.

89. ὁσον εικοσι σταδιους, —

Nonnulli codd. Casauboni, item Stroz. et Ven. apud Sieb. οκτω exhibent. Polybius quidem, lib. X. c. 10. de his apud Novam Carthaginem argenti fodinis mentionem iniiciens, quantum ab urbe distiterint, silet; sed adeo prope urbi eas accessisse, ut octo tantum stadia interfuerint, admodum incredibile est; quo magis vulg. lectio tenenda est, quam Guarinus quoque expressit.

p. 148 90. κοσκινοις εις ὑδωρ διαρτασθαι· —

Terram argenteam contusam in cribris in aquam suspendi s. immitti ait. Rectius diceretur εν ὑδατι, in aqua suspendi. Sed quinam sit huius methodi finis, scire cupiam. Nempe ut glebulae argenteae ima petant et in imis aquis considant, ut expositum video in Reitemeieri libello: Geschichte des Bergbaues der Alten, p. 123. Audio; etsi ita rem ex voto procedere valde dubitem: Terra enim contusa et in aquam immissa limus fiet, ut non separentur particulae metallicae. Sed fac, bene rem procedere massam naviter versanti et quassanti, cur potissimum in cribris illud fieri scribit? Nonne commodius hoc fieret in saccis, alveis, scaphis, vannis, orcis? Ubi cribra et cola adhibentur, massae impositae percribrantur et percolantur, non vero solummodo in aqua suspenduntur. Accedit, quod τας

ὑποστασεις παλιν διηθουμενας ipse Strabo scribat. Igitur aëra contusa super aquam percribrari vult Polybius, ut particulae argenteae et glebulae argentosae per cribrum in aquam decidant et in fundo vanni subsidant (ut de aere fluviatili expositum legitur §. 9.); ramenta vero inania et cassae scobes partim in cribro remaneant, partim in aquae superficie natent, sicque argentum iterata percribratione purius puriusque subsidat. Igitur vereor, ut διαρτασθαι, huic methodo parum conveniens, genuinum Strabonis verbum sit. Διηθεισθαι potius, i. e. percolari, percribrari, commodius legi hucusque putavi, nisi quod a vulgato nimis recedit, quam ut haec aberratio credibilis videatur. Sed nunc a Coraio meliora edoceor (nam suum cuique), qui felicissima sagacitate genuinam vocem διαττᾶσθαι Auctori reddidit. Scilicet ὁ διαττος est το κοσκινον, cribrum; inde διατταω vox Attica pro διασσαω, idem est quod διασηθω, percribro, percolo, ut Hesychius, Suidas et Etymol. Magn. explicant. Pollux in Onomast. VI. c. 13. habet διηθειν, διαττᾶν, etc. Plato in Sophist. I. p. 226.: Τα τοιαδε, οἷον διηθειν τε λεγομεν και διαττᾶν, και βραττειν και διακρινειν. Etiam Galenus illo verbo utitur, ut lib. III. κατα τοπους: Κολλυριον κοπτομενον καὶ διαττωμενον. Idem ad Glauc. lib II.: προδιαττωντες το πιτυρον. Sic noster κοσκινοις εις ὑδωρ διαττασθαι την βωλον dicit, glebam contusam cribris super aquam percribrari, quod bene capio. Ceterum haec methodus non solum in lavando argento fluviatili, sed omnino etiam in effossis argenti aeribus adhibita esse videtur. Ratione paulo diversa Aegyptios usos esse, Diodorus tradit lib. III. c. 13. p. 106. 151 Rhod.

91. εις ιδιωτικας μετεστησαν κτησεις· —

Ita demum Siebenkeesius; nam communis antiquiorum editionum lectio erat εκτισεις, quae sensu caret. Ad privatos, Auctor ait, possessores argenti fodinae transierunt, quod verum est; vid. Reitemeier. lib. paulo ante cit. et loca ab illo allegata. Quare dudum Guarinus ita vertit, quasi legerit κτησεις; et re vera, suadente Casaubono, ita legendum esse, ipsa res docet. Sed codices omnes mendum illud habere viden-

tur. Coraius, vulgatae pressius inhaerens, dedit εγκτησεις, quod idem est atque κτησεις. Quare et ego hoc praetuli. Similiter in Polyb. XXVIII. 17., sive Legat. 82 Ernestius mendosum εκτησιν bene mutavit in εγκτησιν. Xenoph. Hist. Gr. V. c. 2, 12.: και εγκτησεσι παραλληλαις, mutuis possessionibus s. acquisitionibus. Demosth. de cor. c. 27.: εγκτασιν γας, ubi cf. interpretes. Etiam το εγκτημα idem valet, e. gr. Demosth. de Halon. p. 34. — Paulo ante in verbis ουτε δε ενταυθα, ut omnes editi habent, otiosum illud δε cum Coraio sustuli.

92. Ενθεν δε και Καστλωνι —

Sic omnes libri editi. Interpres prior vertit: Hinc autem, sine sensu. Xylander igitur, Penzelius, et nunc Coraius quoque, qui habet: εν δε Κασταλωνι, omiserunt illud ενθεν και. Satis tamen aperta Strabonis scriptio erat: Ενθα δε και εν K. hic autem, sc. ad Carthaginem Novam. Nam alium locum praeter Castalonem designari, ex copula και satis patet. Simile utriusque vocis (ενθαδε et ενθενδε) permutatae exemplum occurrit lib. XIV. p. 671 Cas. c 4. §. 8. De Castalone sive Castulone in Strabone semper corrupta supra monitum est ad c. 2. §. 3. nr. 35. Et paulo infra in libris est Καστλωνος pro Κασταλωνος.

Paulo post pro του αργυρίου μικρον legendum est αργύρου μικρον, ut recte habent edd. antiqui; nam sequitur αποκαθαιρειν αυτον sc. τον αργυρον Peccaverunt typi in Casauboniana utraque, quae accentum iusto loco servans habet του αργύριου μικρον.

§. 11.

93. δια αργυρεια τα εν αυτῳ. —

Lege δια τα αργυρεια τα εν αυτῳ. Ita bene emendavit Coraius.

94. Ερύθειαν· —

Ita accentum posui cum Casaubono; nam est ἡ Ερύθεια, non Ερυθεῖα. Monendum erat propter Sieben-

keesium, qui, ut est in accentibus omnino satis negligens et incertus, hic habet Ερυθεῖαν, et paulo post Ερυθείαν, ut infra p. 169 Cas. c. 5. §. 4. Similiter peccatum est in Γηρυόνος, et hic et §. 13 fin. Nam est ὁ Γηρύων, του Γηρύονος; nisi quis alteram lectionem praetulerit, quam editi habent, Γηρυόνου – nam etiam ὁ Γηρυόνης, nec minus, imprimis poetis, ὁ Γηρυονεὺς in usu erat, qua de re adi Schol. Hesiod p. 310. a. Verheyk ad Antonin. Lib. p. 27. Strabo utramque habet formam priorem; nam lib. I. p. 22 Cas. est ὁ Γηρυόνης, lib. III. p. 169 c. 5. §. 4. τον Γηρυόνην, lib. V. p. 245. c. 4. §. 6 Γηρυόνου, et sine ulla quidem lectionis varietate. At nostro loco codices consentiunt in Γηρύονος, quod cum Siebenkesio contra Coraium teneo; nam eandem semper in omnibus nominibus orthographiam sequi Strabo non solet; quare hanc aequalitatem cum Coraio ei invito ingerere nolim. Absque dubio Strabo hic scripsit Γηρύονος, quia in Stesichori carmine ita scriptum invenerat.

95. Διοτι γεννηθειη — — πετραις.

Stesichori hocce fragmentum ex eiusdem Geryonide desumtum nonnulla ope indiget, ut numeris suis restituatur. Ipsis numeris vero restituendum esse, vel ex eo patet, quod Strabo, praemittens verba οὕτως ειπειν ὑπολαμβανουσι, poetam loquentem inducit, ita ut oratio obliqua, quam habemus in διοτι γεννηθειη i. e. quod natum sit armentum, minime ferri possit. Sed versus quoque repugnat. Quare primum illud διοτι, quod glossatoris est, removendum. Dein γεννηθειη, quam optativi formam cum iota subscripto grammatica ne agnoscit quidem, quanquam omnes editi, quos habeo, ita scribant, et pro quo codd. Stroz. et Ven. γεννηθεις exhibent, mutandum aut in γεννήθη, aut, quod praefero, γεννηθέν. Quum semel legeretur γεννηθειη, coniunctione aliqua opus erat; quare praeponebat aliquis infelix illud διοτι. Porro nec ποταμου, quod versum septenarium facit, a Stesichoro est, sed ex margine, cui vir doctus quidam adscripserat, ut non urbem, sed fluvium Tartessum (Baetim) intelligi moneret, in textum irrepsit; quo de-

leto denique απειρονας mutemus in απειρονος. Nam non fontes sunt immensi (ita licet verterit Vossius in: alte Weltkunde p. 21: den unendlichen silbergewurzelten Quellen, quod non capio, nisi forte semper scaturientes intellexerit), sed ipse fluvius immensus, qui praeterea suum poscit epitheton. Iam cogitemus, versus huic fragmento praecedentis ultima verba fuisse: βουκολιον βασιληος (quae Strabo omittebat, quippe a suae orationis serie aliena), et omnia bene procedent:

Γεννηθεν σχεδον αντιπεραν κλεινας Ερυθειας,
Ταρτησσου παρα πηγας απειρονος αργυροριζους
Εν κευθμωνων πετραις.

Ceterum πηγαι αργυροριζοι egregie alludunt ad Αργυρουν ορος, montem argentarium sive Orospedam, ex quo Baetis profluit, quod ipse Auctor ante monuit.

Haec dudum scripseram, quum nuper Suchfortii libellus in manus incideret, quo ille Stesichori fragmenta illustravit, Gottingae 1771. Hunc in ceteris mecum perfecte consentire valde gaudeo; at ultimo versui corruptricem potius adhibuit manum, quam emendatricem. Κευθμωνων πετραι quae sint, satis apertum est; scilicet rupes cavernarum sunt rupes intus cavernas continentes, rupes cavernosae, πετραι, ὑφ᾽ αἱς κευθμωνες εισιν; exquisita utique et poetica dictio. Similiter Strab XIV. p. 670 Cas. c. 4. § 4. de antro Corycio: κοιλας μεγαλη κυκλοτερης, εχουσα οφρυν πετρωδη. Inversione facta pedestris oratio diceret κευθμωνες εν πετραις sive πετρων. Id ipsum est, quod Suchfortius male maluit, rescribens εν κευθμωσι πετρων, sensu et re, ut ei videbatur, ita postulante. Quid? quod nc πηγας αργυροριζους quidem intactas reliquit; mavult enim αργυροριζοις εν κευθμωσι. Sed haec ille sibi habeto! Neque comparator Euripideum illud apud Strab. lib et pag citt. §. 4.: νεκρων κευθμωνα λιπων, quod inversionem nec admittit nec desiderat, quippe per se satis poeticum. Ceterum Hesiod. in Theog. v. 294 armenta ista habet σταθμῳ ενι ηεροεντι Denique, vocis πετρων penultimam produci, ne quem offendat, in versu hexametro mutam cum liquida brevem syllabam plerumque producere, monere liceat.

Parum vero feliciter hoc fragmentum Coraius adornavit, qui verba διοτι γεννηθειη servata contextui Straboniano vindicat, ut primus versus mancus sit; secundum vero versum septenarium habere maluit, quam eiicere interpolatum illud ποταμον. Ne απειρονας quidem correxit. Quae omnia valde demiror.

96. εν τῳ μεταξυ χωρῳ —

Delta intelligit inter utrumque Baetis ostium interiacens, quod supra p. 140 Cas. c. 1. §. 6. dicebat νησον απολαμβανομενην ὑπο των στοματων. Quare χωρῳ integerrima fide gaudet, pro quo codices Casaub. et quatuor Italici apud Sieb. perperam exhibent πορῳ, transitu, quem non capio. Paulo infra editi habent τον απο Γαδειρων, referentes ad πλουν; legendum το απο Γαδειρων, sc. διαστημα, quod απεχει ἡμερων πεντε πλουν. Ita recte solus Coraius.

97. τα προσαρκτια μερη τ. I. ευπαραδοξοτερα —

Haec omnium antiquiorum editt. lectio sensu caret, nihilque aliud nisi mendum Aldinum esse videtur. Omnes enim et Casauboniani codices et Italici apud Siebenkeesium, etiam Reg. Paris. habent ευπαροδωτερα, quod Sieb. et Coraius receperunt. Etiam Guarinus dudum ita legisse videtur, qui vertit: faciliorem ad Gallias habere meatum, i. e. transitum. Xylandri vero interpretatio aeque prava est, ac vulgata lectio, quam reddit: facilius cognosci. Quare locum se intelligere negat Seidel. Fragm. Eratosth. p. 139, Siebenkeesius vero ita interpretatur, ut Iberiae partes boreales faciliorem accessum praebere iuxta Galliam, quam si quis oceanum naviget, dicantur. Primo quidem intuitu locus ita bene expeditus videtur. Unum tamen obstat, quo minus receptae e codd. lectioni plenam fidem habeas, scilicet quod videtur esse ἅπαξ λεγομενη. In lexicis enim frustra quaeras, nisi quod eam Schneiderus ex h. l. receperit. Inusitatis autem verbis uti, vel nova formare Strabo non assolet. Neque erat, quod novum formaret, quum uti posset formatis, sive ευπροσοδος mallet sive ευπροσιτος. Sic lib. XII. p. 545 Cas. c. 3. §. 11.

Sinopen *ουκ ευπροσιτον* dicit. Casaubonus habere se negat, quo locum hunc emendet; igitur et ipse vocem *ευπαροδος* non agnoscit, quam tamen ex analogia bene compositam esse nemo negabit. Iam ergo ante omnia quaeritur, quid illud sit, quod ex Pythea Eratosthenes narraverit. Pytheas si affirmaverat, oram Hispaniae borealem faciliorem accessum praebere iuxta Galliam quam per oceanum navigantibus (quod volunt Siebenkeesius et Penzelius), *ευπροσοδωτερα* potius vel *ευπροσιτωτερα* legendum videtur. Sed id voluisse Pytheam, valde dubito. Is potius Iberiae oram facilius traiici et praeternavigari Galliam versus, quam per Oceanum Atlanticum litus Lusitaniae legentibus, affirmaverat, quod ipse ista litora legens iterumque legens expertus erat; sive casu, sive quia re vera maioris oceani aequora iuxta Lusitaniam procellis magis obnoxia sunt. Igitur *ευπαροδωτερα ειναι τα μερη ταυτα* Pytheas dixerat, voce usus paulo insolentiore quidem, fortasse ab ipso demum creata, sed satis apposita et rem bene exprimente, quam ex illo Eratosthenes, ex hoc vero Strabo transtulit Hanc igitur omnium insuper veterum librorum fide firmatam lectionem genuinam arbitror, et ita locum accipiendum esse, dudum suspicatus est Seidel. l. c.

§. 12..

p.149 98. *ὁτι προς δυσιν εσχατην ηκουεν αυτην*, —

i. e. quod versus occidentem ultimam audiebat esse Tartessum. Vulgatam hanc librorum editorum, forte etiam scriptorum plurimorum scripturam non improbat Casaubonus; magis tamen placere fatetur, quae sit in libris suis antiquis: *εσχατη ηκουεν αυτη*. Ita Sieb. quoque invenit in Vat. utroque et Veneto. Neque dubium est, quin haec vera sit lectio. Quo iure, quaeso, Geographus Poetae crimini det, quod audiverit (si omnino quidem audivit), Tartessidem terrarum esse ultimam? Id ipsum potius tamquam errorem aetatis Homericae vituperat, quod Tartessis terrarum ultima habita, ideoque ab Homero quoque dicta sit. At Poetae crimini dare, vel inter prave *dicta* referre, quod ita ille *audierit*,

sane absonum et absurdum est. Scribendum itaque erat: ὅτι ἐσχάτη ἤκουεν αὐτή, i. e. quod ultima terrarum dicebatur Tartessis. Scilicet ἀκούειν h. l. valet λέγεσθαι, ut εὖ ἀκούειν Latinorum est bene audire, κακῶς ἀκούειν male audire, qua de re cf. Stephani Thes. T. I. p. 285. Quare cum Sieb. contra Coraium, vulgatam tenentem, commodiorem hanc lectionem in textum intuli.

Paulo post vox ἐμπίπτειν non iungenda versui Homerico (Il. VIII, 485.), quod editi faciunt, sed textui Strabonis reddenda est; nam Homeri versus ita legitur: Ἐν δ' ἔπεσ' ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο. Ceterum in eo mirifice errat Geographus, quod Homerum ipsum dicere affirmat (καθάπερ φησὶν αὐτός), circa Tartessum sive Tartessidem solem subire oceanum. Vesperam ingruere poeta dicit, nihil amplius, et sine ulla quidem ad ullam regionem occidentalem allusione. De Tartesside igitur, quam ne noverat quidem, cogitare poeta neutiquam potuit. Quare Strabo poetae loco, quem ex memoria prave memorat, pessime abutitur.

99. Εἰκάζοι ἄν τις —

Conclusio est ex praemissis. Quare copula conclusiva, quam dicunt, quamque uterque interpres Latinus non omisit, vix abesse potest. Itaque suspicor: Εἰκάζοι οὖν τις, vel: Οὐκοῦν εἰκάζοι ἄν τις, proinde igitur colligat aliquis.

100. τις ἀκούων τὰ περὶ Ταρτησσοῦ —

Constantem hanc omnium librorum et manu et typis exaratorum lectionem (ἀκούων) omnes interpretes et editores, Gallo-Graeco excepto, intactam reliquerunt, verum loci sensum neutiquam percipientes. Omnes enim ita vertunt, quasi audiens de Tartesso aliquis existimare possit, Homerum a Tartesso denominavisse Tartarum; nam in textu est τις ἀκούων. Itaque Guarinus: Unde si quis audiverit, quae de Tartesso referuntur; Xyl. Audiens ergo aliquis de Tartesso; Penz. Höret nun jemand dieses. At multum abest, ut Strabo hoc dixerit aut dicere voluerit, quod absurdum foret. *Homerum* potius de Tartesso audientem nobis ostendit. Quod quo

magis pateat, disputationis seriem et argumentationem, qua Auctor utitur, paulo accuratius explicabo. Nimirum in eo versatur, ut iam Homero Tartessum cum Tartesside aliasque occidentales regiones circa Columnas sitas notas fuisse demonstret. Homerus enim, ut omnium rerum scientiam, ita totius orbis terrarum cognitionem habebat, quam expressis verbis lib. I. p. 6 Cas. ei tribuit. Hanc opinionem, qua admodum delectatur, libro primo et secundo operis sui uberius, quam opus esset, exposuit, et cum indignatione quadam prudentiorum hac in re virorum contradictionem saepius refutat, ut et infra p. 157 Cas. c. 4. §. 4. Iam nostro quoque loco Tartessi commemoratione excitatus iterum ad idem thema copiosius tractandum digreditur, quod lib. I. p. 2 et 3 Cas. breviter tantum tetigit. Bifariam itaque argumentationem suam dispertit, primum ex iis, quae minus recte, dein ex iis, quae rectius de regionibus istis (περι αυτων, quod Sieb. et Penzel. pessime vertunt: ab eo) tradita sint, assertum suum comprobans. Similiter lib. I. p. 21 extr. Εστι γαρ αμφοτερως τουτο δεξασθαι, και βελτιον και χειρον. Minus recte Tartessus terrarum ultima versus occidentem dicebatur (εσχατη ηκουεν), quum aliae regiones magis etiam ad occidentem vergant; ibi vero sol occidit et nox habitat. Atqui nox mali ominis est et Hadi propinqua; Hades vero Tartaro. Ergo poeta, *de Tartesso audiens*, loca infera ibi finxit, et ad Tartessum alludens (παρονομαζων) extrema inferorum loca Tartarum vocavit. Sic igitur ex parum recte dictis de Tartesso et ex fabulis de Tartaro (απο της του Ταρταρου μυθοποιίας) recte colligat aliquis, Tartessum Poetae bene notam fuisse. Inanem hancce Strabonis argumentationem multis refutare nec lubet nec opus est. Id solum Lectori persuadere volui, nullo modo ferri posse vulgatum illud ακουων τα, sed legendum utique esse ακουοντα τα περι Ταρτησσου, vel fortassis melius ακουοντα π. T. i. e. Poetam, quum de Tartesso sibi narrata audisset, delatum esse ad figmentum de Tartaro ex Tartesso ita appellando. Praeterea etiam ratio grammatica ita legere nos iubet. Nam ex vulgata lectione deest orationis subiectum, ita ut suppleri certe vel addi potius post παρονομασαι debeat αυτον, nisi sermonem ad-

modum scabrum et obscurum habere malimus. Contra vero vox ακουοντα antecedens subiectum, τον ποιητην, continuat et quasi huc repetit. Ceterum Coraius conjecturam et emendationem meam egregie firmat, in cuius contextu eandem nunc reperio.

101. εν βορειοις και ζεφυριοις οικησαντας τοποις τοις κατα τον Βοσπορον. —

Igitur Homero Cimmerii iuxta Bosporum versus septemtrionem simulque versus occidentem habitaverunt. Singularis utique dictio, quam non capio, nisi quis plagam Caurinam, Nordwest, ita designari contendat, quod nego. Veteres nonnumquam quidem plagam mediam aliquam ab utraque cardinali vicina signasse concedo, cuius rei exemplum ipse ex Nostro profero, qui supra p. 147 Cas. c. 2. §. 9. de Artabris: οἱ της Λυσιτανιας, ait, ὑστατοι προς αρκτον και δυσιν, i. e. caurum versus, εισιν. Ita saepius loquitur, etsi loca non succurrant. At non semper ita loqui licet, sed tunc solummodo, quum aut universim finis terrae alicuius (ut Lusitaniae, l. c.) aut plaga quaedam respectu unius cuiusdam loci (quasi termini, a quo) habito definienda est. Non vero licet, quum duo termini diversi constituti fuerint, ad quos plaga mundi quaedam referenda est. Igitur Cimmerios Homero et boream et occasum versus, i. e. ab eo caurum versus, habitasse recte dici, sed neutiquam ita dici potest: Cimmerios, quos a se boream et occasum versus *iuxta Bosporum* habitare Homerus sciebat, ad inferos transtulit. Nam si iuxta Bosporum habitabant, Homero non erant versus occasum caurumve, sed versus boream; nisi quis contenderit, Homerum Bosporum Cimmerium (si quidem omnino cognitum habuit, quod vel ipse Strabo sui parum memor addubitat lib. XII. p. 553 Cas. c. 3. §. 26.; collat. I. p. 6 et 20) caurum versus, i e. in media Europa sibi finxisse, cuius rei argumenta exspecto. Quare neque Vossio (Alte Weltkunde p. 14) fides habenda, qui Cimmerios cum montibus eos includentibus ab Orpheo, Argonauticorum auctore, v. 1119, ad oceanum caurinum (an den nordwestlichen Ocean)

transponi affirmat. In Orphico carmine nihil tale reperitur; Cimmeriorum sedem non distincte Auctor definit, nisi quod a Phlegrae i. e. Thraciae montibus boream versus illam sibi finxisse videatur. Praeterea quemnam oceanum caurinum sive antiquus poeta sive Vossius cogitaverit, scire cupiam. Igitur parum abest, quin Vossium Cimmeriorum sedes sub cauro positas ex nostro Strabonis loco male intellecto (nam vulgata omnium librorum lectio ζεφυριοις nihili est) in Argonautica temere ingessisse credam.

Sed fac, Cimmerios caurum versus alicubi fuisse, vel Homero saltem ita signari, vox ζεφυριος eo sensu, ut plagam occidentalem denotet, admodum suspecta est, quum id potius significet, quod ad zephyrum sive favonium pertinet, ut ζεφυρια πνευματα in Theophr. hist. plant. II. c. 4. Poll. onomast I. c. 12.; et ἡ ζεφυρη sc. πνοη, Od. VII, 119. Poll. I. c. 9. Etiam ωα ζεφυρια dicuntur τα ὑπηνεμια, ova irrita s subventanea ap. Aristot. hist. animal. VI. c. 2. To ζεφυριον vero significare etiam το ἑσπεριον sive δυτικον, equidem non memini, neque in lexicis exempla invenio. Interim omnes interpretes ita ceperunt.

Sed iterum fac, τους τοπους ζεφυριους recte dici pro τοις ἑσπεριοις και δυτικοις, tertia causa est eaque gravissima, quae Cimmerios occidentales admitti vetat. Auctor enim ubi Homerum ob noctis caliginem, quae Tartarum premat, hunc a Tartesso appellasse et Tartesso propinquam finxisse exposuit, simili Cimmeriorum exemplo disputationem suam firmare studet. Atqui nihil similes sunt Cimmerii versus boream et occasum habitantes, qui quid huc faciant, non video; simillimi vero Cimmerii caligine obscurati, quos ea ipsa de causa ad loca infera posuit. Igitur ita demum exemplo Cimmeriorum apte uti Strabo potuit, si et ipsi ob sedes caliginosas Homero ansam praebebant, quos locis inferis admoveret. Et re vera ipse Strabo locis plane geminis, quae hic paene transscribens repetit, Cimmerios itidem boreales quidem (boreales enim recte dicuntur, quippe Bosporum accolentes), sed minime occidentales, imo caliginosos potius describit. En verba lib. I. p. 20 Cas.: Ουτω δε και τους Κιμμεριους ειδως οικουντας

τον Κιμμερικον βοσποϱον πϱος βοϱϱαν, και ζοφωδη, μετηγαγεν οικειως εις σκοτεινον τινα τοπον τον καθ᾽ ᾅδην. Ὁτι δ᾽ οιδεν αυτους, οἱ χϱονογϱαφοι δηλουσιν, η μικϱον πϱο αυτου την των Κιμμεϱιων εφοδον, η κατ᾽ αυτον αναγϱαφοντες. Et eiusdem libri p. 6.: *Αινιττεται γουν και το κλιμα της χωϱας αυτων, ζοφωδες ον.* Quis igitur haec loca comparans dubitabit, quin etiam nostro loco pro *ζεφυϱιοις* recte legatur *ζοφωδεσιν*? Nihilo minus nunc, quum Coraianum librum inspicio, meam emendationem re ipsa quidem verissimam Coraianae postpono. Coraius enim vulgatam lectionem pressius imitans, re ipsa mecum plane concinens pro *ζεφυϱιοις* dedit *ζοφεϱοις*. Ita se scripsisse, nonne ipse Auctor clamat? Non enim utique necesse erat, eodem vocabulo nunc uti, quo libro primo de eadem re loquens usus erat. Similiter nunc dicit *βοϱειοις*, ibi vero *πϱος βοϱϱαν*. Quare et ego dedi *ζοφεϱοις*.

Ceterum, ut obiter moneam, Strabo Cimmerios antiquiores mythicos sive poeticos cum multo serioribus Scythicis et historicis misere confundit ac miscet. Utrique licet reapse iidem sint, a Mosaico Gomer recte derivandi (qua de re bene exposuit Gesenius in Lex. Hebr. v. גֹּמֶר. Cf. Bochart. Chan. I. c. 33. Voss. Alte Weltkunde p. 14.; collatis tamen Ephemerid Jenens. 1817, Jul. p. 87), id tamen differunt, quod priores illi Graecis antiquissimis vix nomine nedum sedibus noti mythographorum poetarumque fabulis inservirent, et ob caliginem, qua premi tradebantur, finibus Oceani, locis inferis et Tartaro admoverentur. Ita Homerus fecit Od. Λ, 13, et post eum multi poetae seriores, ut Orph. Argon. v. 1119. Soph. Oed. Col. 1311, Schol. Virgil. Georg. III. 157. Id. Cul. 231. Tibull. IV 1, 65. Valer. Fl. III. 398. Ovid Met. XI. 592. Sil. Ital. X. 130. Etiam Cic. Acad. II. c. 19. Istorum itaque Cimmeriorum descriptionem ipse Strabo lib. V. p 245 Cas. c. 4. §. 5, meliore via ingrediens, nihil aliud esse affirmat, quam antiquitatis fabulosae imaginem Seriori aevo, quum regiones circa Bosporum pateficerent, Cimmerii fabulosi esse desierunt; imprimis vero, quum Asiam incursionibus infestarent, magis magisque inclaruerunt et vere historici fieri coeperunt. Iam vero hos Cimmerios cum prioribus istis Strabo misere miscet, ne

temporum quidem diversitatis rationem habens et sibimet ipsi contradicens. Hos enim vel trecentis annis et quod excurrit, post Homerum Asiam devastasse constat. Nihilominus Homero et hos notos fuisse saepius affirmat, dum eorum incursiones aut paulo ante Homerum aut ipsius aetate factas esse cum antiquioribus annalium scriptoribus temere credit; qua de re vid. lib. I. loc. citt. p. 6 et 20. Sed et hoc, in quo versamur, libri tertii loco idem repetit; quare ea, quae de Ionum sive more sive odio in Cimmerios addit, certe in Homerum non cadunt. Cf. a Vossio exposita ad Virg. Georg. III. v. 352.

102. κοινον των Ιωνων εθος —

Communis haec Ionum consuetudo quaenam fuerit, ex praecedentibus quidem colligi potest. Eam scilicet intelligit, ex qua Cimmerios collocaverint Iones apud inferos. Miram vero istam dices consuetudinem, cuius causa et origo vix perspicitur. Colligitur demum ex iis, quae sequuntur; Cimmerios enim Asiam ad Ioniam usque incursionibus infestavisse ait. Hanc causam fuisse, quod Cimmerios, quos oderant, tanquam homines sibi infestos et mali ominis Hadi vicinos fingerent; ut nos quoque homines nobis infestos et perniciosos ad inferos et Diabolum abire iubemus. Hoc igitur commune Ionum in Cimmerios odium id ipsum est, quod tanquam causa Homericae fictionis commemorari debebat. Quare ex egregia Siebenkeesii emendatione, in quam tamen et ipse dudum incideram, legi malim κοινον των Ιωνων εχθος. Ita Coraius quoque praetulit. Ceterum de Cimmeriorum incursionibus Strabo supra exposuit lib. I. p. 6 Cas. et infra lib. XI. p. 494. c. 2. §. 5.

103. των μεχρι της Αιολιδος —

Των mutandum in την, sc. εφοδον Κιμμεριων, quae ad Aeolidem et Ioniam usque porrigebatur. Potest quoque articulus omnino deleri, sensu incolumi. Similiter paulo infra peccatum est, ubi pro το legendum est ὁ κατα Σικελιαν sc. πορθμος. Utrumque etiam Coraius correxit.

§. 13.

104. *και των Φοινικων*, —

Scribendum cum Coraio *και ἡ των Φοινικων*. Deinde vulgo legitur: *οὑτως εγενοντο ὑποχειριοι.* Equidem tamen cum Coraio rectius putavi: *οὑτως εγενοντο σφοδρα ὑποχειριοι*, ut est in codd. Casauboni, nec non in Stroz. A et Veneto.

105. *καθαπερ και την Ιλιαδα*, —

Vocula *και* delenda est. Irrepsit ex praecedentibus *ὡστε και την Οδυσσειαν.*

106. *Οδυσσεια πολις* —

Casaubonus legere maluit *Οδυσσεῖς*, propter Stephanum Byzantinum, qui ita habet: *Οδυσσεῖς πολις Ιβηριας, αρσενικως.* Sed quin vulgata tenenda sit, nullus dubito. Primo enim et hic et infra p. 157 Cas. c. 4. §. 3., ubi idem nomen iterum occurrit, omnes editi in *Οδυσσεια* constanter conspirant, nec ulla nominis varietas ex codicibus notatur. Dein Eustathium quoque ita habere, Casaubonus ipse testis est. Stephani vero auctoritatem hic, ubi de recte scribendo nomine urbis fabulosae (nam umquam et usquam Odysseam urbem, eamque Ulyssis coloniam, in Hispania extitisse, vix aliquis Straboni nostro fidem habebit) agitur, parum habere momenti quisque concedet. Praeterea fabulosi nominis discrepantia minime mira; quare, ut Straboni *Οδύσσειαν*, ita Stephano *Οδυσσέα* ne quis invideat vel turbet.

107. *των εκ του πολεμου γενομενων*, —

Indicat Auctor Troianorum et Graecorum duces, bello Troiano superstites, qui paulo infra *οἱ περιλειφθεντες, απιοντες εκ των κινδυνων.* Nonne igitur et hic *περιγενομενων*? Saltem *γενομενων* ita accipiendum. Interim *γενεσθαι εκ πολεμου* an per se significet evadere s. superstitem esse ex bello, incertus sum; certe dura et insolens est locutio. Accedit ipsius Strabonis auctoritas, propositam emendationem confirmantis, dum lib. I, p. 48

Cas. eandem rem explicans: και περιγενομενους, ait, εκ του πολεμου. Ita Coraium quoque censuisse nunc video, quare maiore fiducia ita dedi. Similiter lib. XIV. p. 671 Cas. c. 4. §. 8.: τους περιγενομενους των πειρατων. — Paulo ante vulgo: της εκεινου omisso τε, quod Coraius recte restituit.

108. και επισης κακωσαντων —

Vehementer vereor, ut ita scripserit Geographus, etsi nullam codices exhibeant varietatem. Nimirum οἱ επισης κακωσαντες illi sunt, qui ex bello superstites evaserant. Hi pari ratione κακωσαι i. e. malis damnisque affecisse dicuntur et Troianos, qui debellati erant, et Graecos, qui debellaverant. Quinam vero isti sunt, qui e bello Troiano evasisse dicuntur? Troianine an Graeci? An utrique? Si Troiani; quomodo hi Troianos malis affecerunt? Sin Graeci; quomodo hi Graecos? Igitur utrique? Recte, opinor. Nam paulo infra, ubi de eorum erroribus sermo fit, et Troiani et Graeci aliquot nominantur. Hactenus itaque vulgata lectio sensum praebet, licet satis illum incommodum et impeditum. Non enim tam viri, qui e bello evaserant (quippe qui bello finito non amplius sibi invicem nocebant), quam ipsum bellum utramque partem summa calamitate per decem annos afflixit; quare rectius certe et luculentius Strabonem scripsisse arbitror: εκ του Τρωϊκου πολεμου περιγενομενων, επισης κακωσαντος. Prius, opinor, in fine vocis κακωσαντος peccabatur, per compendium scriptae; quo facto copula και vix poterat abesse. Coniecturam meam iterum firmat Coraius; quem quod toties mecum adeo concinentem habeo, summa voluptate perfruor; at in sequentibus satis discedimus ambo.

p. 150 109. ετυγχανον ηρμενοι —

Hic locus in omnibus, quos inspexi, editis ab interpunctione laborat, quae adeo perversa est, ut vix sensum elicias, saltem nescias, quomodo interpreteris. Vulgo ita legitur: ηρμενοι (imo ηρμενοι), των τε οικων αυτοις κατεφθαρμενων· και των λαφυρων εις ἑκαστον ολιγων

ἐληλυθοτων, συνεβη τοις etc. Verus loci sensus hic est: Domibus eorum (Troianorum) dirutis, praeda vero singulis (Graecis) exigua oblata, factum est, ut et Troiani, qui patriae excidio superstites evaserant, latrociniis operam darent, et Graeci. Igitur cum Siebenkeesio ita distinguendum: ἡρμενοι. Των τε οικων αυτοις κατεφθαρμενων, και — ἐληλυθοτων, συνεβη τοις etc. Casaubonus, cui olim perperam adstipulatus sum, nuncque Coraium adstipulatum doleo, ita legendum censet: ἐληλυθοτων. Συνεβη ουν τοις etc.; ex quo apparet, praecedentia, quae superioribus arcte adiungunt, eis visa esse explicationem victoriae Cadmeae, quam Graecos reportasse paulo ante Strabo dixerat. At secus est. Causam potius Auctor explicat, qua et Troiani et Graeci latrocinia agere coacti sint; nempe Troes propter patriae excidium, Graii propter praedae inopiam. Quare per totum locum utrosque plus semel sibi opponit. Quae quum ita sint, verba ista: Των τε οικων αυτοις κατεφθαρμενων neutiquam de Graecis, sed de Troianis potius intelligenda sunt, unde Casauboni et Coraii correctionem nullo modo admitti posse liquet. Neque ulla alia mutatione locus indiget, nisi recta interpunctione, qua adhibita omnia expedita sunt. Ceterum ipso Strabone utamur interprete, qui lib. I. p. 48 Cas. iisdem fere verbis eadem explicans, de Troianis Graecisque coniunctim ita loquitur: Συνεβη τοις τοτε (leg. τοις τε) Ἑλλησιν, ὁμοιως και τοις βαρβαροις, δια τον της στρατειας χρονον αποβαλειν τα τε εν οικῳ και τῃ στρατειᾳ πορισθεντα, ὡστε μετα την του Ιλιου καταστροφην τους τε νικησαντας επι λῃστειαν τραπεσθαι δια τας αποριας, και πολλῳ μαλλον τους ἡττηθεντας, και περιγενομενους εκ του πολεμου.

Denique, licet levius sit, moneo, duo ista participia: τοις περιλειφθεισιν απιουσιν (pro quo codd. Casaub. habent απελθουσιν; alii απειθουσιν sine sensu) εκ των κινδυνων incisione separanda esse, nisi και interponere malis. Sensus est: patriae excidio superstites Troiani, postquam ex periculis evasissent, etc.

110. παρ᾽ αυτους. Παλιν ἡ τε —

Admodum placet Coraii emendatio, quae vocem παλιν praecedentibus iungit: παρ᾽ αυτους παλιν. Nam

sequentibus iuncta, quid sibi velit, vix aliquis dixerit, nisi generaliter accipiat pro porro, vel οὕτω δή; quod an usus ferat, alius iudicet. Et laborarunt interpretes; alter rursus, ergo alter habet; neutrum recte. Sequamur potius Coraium.

111. οὗ φησιν ὁ Πρωτευς αποικισειν τον Μενελαον· —

Imo αποικησειν. Sermo est de campo Elysio, ubi (οὗ, quo loco) Proteus Menelaum habitaturum esse praedicit. Atqui verbum transitivum αποικιζειν significat coloniam deducere, domo emittere et aliorsum migrare iubere; αποικεῖν vero intransitive dicitur, tum emigrare tum procul habitare, in remotis terris degere notans. Diversam hancce utriusque verbi naturam exemplis satis illustratam in Stephani thesauro videbis; interim omnium instar hacc duo habeto: Od. μ, 135: τας μεν Μητηρ Θρινακιην ες νησον απῳκισε, τηλοθι ναιειν. Thucyd. III.: προς Αθηναιους εκελευετε τραπεσθαι, ὡς εγγυς οντας, ὑμων αποικουντων. Idem differunt κατοικιζειν et κατοικεῖν. Ut in Diod. I. c. 67.: οὓς Αμασις κατῳκισεν εις Μεμφιν, deinde: οἱ δε εν ταυτῃ κατῳκησαν. Iam igitur, nisi Strabonem utriusque verbi significationem misere confudisse volumus, nullum dubium superest, quin scripserit αποικησειν. Sed grammatica quoque ita iubet ratio. Semper enim, si locus adiicitur, dicendum est αποικιζειν τοπον, vel εις τοπον τινα, non autem εν τοπῳ τινι, qua perversa ratione usus Strabo foret ex lectione vulgata; habet enim οὗ αποικισειν, i. e. ubi s. quo loco emigraturus vel coloniam deducturus sit, quod grammaticae aeque ac sensui repugnat; dicendum certe erat εις ὅ, vel εις ὃν τοπον αποικισειν. Ceterum locum simillimum lib. I. p. 3 Cas. init. contulisse iuvabit, ubi Auctor, eandem rem exponens: Ενταυθα, ait, δε και το Ηλυσιον ποιει πεδιον ὁ ποιητης, εις ὁ πεμφθησεσθαι τον Μενελαον φησιν ὑπο των θεων. Atqui in Elysium mitti et in Elysio habitare, ad idem redit. Denique frequentissima est utriusque verbi commutatio; ut infra p. 157 c. 4. §. 3., ubi vulgo εποικισαι pro εποικησαι legitur, et lib. XIV. p. 654, pro συνῴκησαν cod. Paris. male habet συνῴκισαν. Sic saepius. Etiam Coraius mendam sustulit.

Paulo post in versu Homerico legitur ουδε ποτ᾽ ομβρος. Contra l. c. lib. I. p. 3 ουτε habet pro ουδε, ut etiam in Homeri ipsius contextu est. Sed Strabo quum fortasse ex memoria locum adscripserit, nihilque referat, utrum legatur, equidem nil muto, ne corrigam ipsum Auctorem. At λιγυ πνειοντας rectius duco, quam λιγυπνειοντας l. c. Etiam in Homeri editis scriptura variat.

112. επι τοις περασι της γης, εφ᾽ ἡς και ᾁδην —

Igitur Hades super terra? Imo subter terra, et in extremis quidem eius finibus. Quare certissima est Casauboni emendatio, ideoque Coraio probata, legentis εφ οἱς sc. περασι, uti est quoque in Ms. Reg. ap. Sieb.

§. 14.

113. φατναις αργυραις και πιθοις — p.151

In Epitome operis Straboniani, quam in Hudsoni Geogr. Min. T. II, nec non in edit. Almelov. typis excusam legimus, pro φατναις est φιαλαις. Eandem lectionem codicem Xylandri exhibere Siebenkeesius affirmat. Qui codex quisnam fuerit, equidem non assequor, quum in codicum recensu a Sieb. in praefat. p. 38 exposito codicis Xylandrini nulla fiat mentio, imo ipse Xylander omni codicum auxilio in Strabone edendo destitutus fuisse dicitur. Errasse igitur videtur Siebenkeesius. Iam de utraque lectione eo diligentius dispiciendum erit, quo magis virorum doctorum iudicia discrepant. Ante omnia monendus Lector est, ne Epitomatoris auctoritatem sibi soli relictam contra tot codicum fidem, qui ad unum omnes in lectione φατναις conspirare videntur, nullam esse autumet. Epitomes auctorem, quisquis ille fuerit (nam incertus est), omnes codices aetate longe superare, satis notum est. Quid? quod vixisse iam saeculo decimo, haud temere suspicatur H. Dodwell. in dissertat de Excerptore Strabonis, laudatus ab Harlesio in Introduct. in Hist. ling. Gr. p. 322. Porro omnes Strabonis codices, quotquot sunt, ex uno eodemque antiquissimo exemplo originem

duxisse, rationibus evicit Siebenk. praefat. p. 26. Quod si concesserimus, sequitur, epitomes auctoritatem in lectione aliqua variante, licet omnes codices dissentiant et in vulgata lectione conspirent, nihilominus codicum auctoritati aequiparandam esse, quum omnes codices unum tantummodo vetustum illud, ex quo fluxerunt, exemplar repraesentent. Ita se res habet in hoc, de quo nunc agitur, loco. Ceterum id quoque ex huiusmodi locis, quae tamen admodum rara esse videntur, efficitur, antiquum illud exemplar, quo Epitomator usus est, dudum fuisse deperditum, neque ulli eorum, qui nunc exstent, saltem, quorum lectio collata sit, codicum dedisse originem.

Iam igitur, quum utrique lectioni fides et auctoritas prorsus aequalis concedenda sit, ex solo sensu, quam utraque praebet, magis minusve commodo diiudicari poterit, utram praeferamus. Xylander epitomes lectionem φιαλαις damnavit; cui assentiens Casaubonus: cuius magnificentiae esset, ait, phialis uti argenteis, quod hodie apud nos etiam mediocris fortunae hominibus licet? Contra vero mira et prorsus superans omnem fidem argenti copia videtur Casaubono, si, quod altera lectio φατναις velle videatur, etiam praesepia ex argento fuerint facta; neque sane tale quid alibi usquam legisse meminit. Profecto neque nos meminimus; vixque tam immensa argenti copia et tam ridicula hominum insania cogitari potest, quae bubus equisque asinisve argentea praebeat praesepia. Neque Mardonii φατνη χαλκεη (Herodot. lib. IX. c. 70.), quam Tegeatae Minervae consecravere, Iberorum argentea praesepia quicquam adiuvat. Igitur de praesepibus, etsi a Wesseling. ad Diod. Sic. V. c. 36. p. 216, 312 Rhod. aliquantulum defensis, merito conclamatum sit.

Nihilo minus vulgatae lectioni φατναις patrocinatur Casaubonus, alio tamen et singulariter novo sensu accipiens. Scilicet lacunaria intelligit, quae vulgo φατνωματα (ut Polyb. X. c. 24. Ioseph. Ant. Iud. VIII. 3, 2) dicuntur. De lacunaribus sive camaris ebore, argento auroque tabulatis res nota. Dicta quoque esse φατνωματα a φατνη ob formae similitudinem, cavatis tabula-

tis et loculamentis cum praesepibus inhaerentem, et lubenter concedo nec ignoro. Inde etiam της στεγης την κατασκευην φατνωματικην Plutarchus habet in Lyc. c. 13. Dixisse autem bonos scriptores ipsas φατνας pro φατνωμασιν, quod vult Casaubonus (et repetit Ernestius ad Polyb. l. c. in gloss.), aegre nobis persuadebit. Lexica nullum utique eiusmodi exhibent exemplum. Unum illud, quod ipse affert ex Diod. I. c. 66. p. 42, 60 Rhod. ubi lapideum tectum sive camara (μονολιθος οροφη) domus Psammetichi φατναις διαγεγλυμμενη memoratur, de lectionis fide incertum videtur. Praeterea idem Diodorus III. c. 46 inter lacunarium et forium ornamenta χρυσας φιαλας λιθοκολλητους habet ex Agatharch. p. 65; quam singularem dictionem non minus mireris, quam τας φατνας. Sed concedamus, re vera lacunaria ibi novo dicendi genere Diodorum appellasse φατνας sive praesepia, num inde sequitur, Strabonem quoque ista voce similiter esse abusum? Quonam iure huic, qui inusitatis verbis verborumque significationibus abstinet, locutionem adeo insolitam et perversam obtrudamus? Quare et Wessel. ad Diodor. I, l. c. an Casaubonus φατνας ad φατνωματα recte retulerit, dubitat. Plura fortasse (nam non ad manus sunt) dabunt Salmas. ad Vopisci Aurelian. 46, et Horrei Miscellan. crit. II, c. 16.

Praeterea lacunaria auro-argentoque elaborata quam parum Turditanis conveniant, id Vir optimus omnino non curavit. Ditissimi quidem erant argento; at in exstruendis ornandisque domibus exquisitissimam istam et luxuriantem Romanorum elegantiam, quam Augusti demum aetas protulit, quamque tunc fortasse vel serius et ipsi imitati sunt, certe Hannibalis Hamilcarisque aevo prorsus ignorabant. Id ipsum bene vidit Penzelius, licet is, qui epitomes lectionem ignoraret, ridicula ista praesepia tenere coactus sit; Casauboni vero farragine quantumvis docta se nihil moveri fatetur in not. 1. p. 613. Neque magis olim Turditani Romanorum curabant lacunaria, in domiciliis omnique vita seriorem Romanorum luxum nondum imitantes. Denique, ne quid, quod Casauboni opinionem damnet, omittam, doliis argenteis, quibus Turditani utebantur, egregie quidem conveniunt phialae, i. e. lagenae, crateres, paterae, lances,

catini et quae eiusmodi alia sint, pessime vero camararum et tectorum lacunaria. Ecquis ullus haec duo iunctim posita exspectet feratve? Illud vero, quod Casaubonus obiicit, nullius esse magnificentiae, phialis uti argenteis, id nihili est. Vasa argentea ditiores tantum habent, isque, qui inter quotidianam supellectilem auro et argento utitur, divitias, magnificentiam et luxuriam sat magnam ostendit; neque loca veterum desunt (unus Athenaeus plura habet), quae hanc vasorum argenteorum et aureorum luxuriam ostendant.

Quae quum ita sint, de lacunaribus quoque, pariter ac de praesepibus, conclamatum esto! Aliam, quam praeterea offert, των φατνων interpretationem breviter modo tangam. Mensam interdum την φατνην dici affirmat, ex Hesychio, Suida et Aeliano exempla aliqua satis speciosa afferens. Ipse quamvis hanc interpretationem reiiciat, ego tamen eam, quippe loco satis bene convenientem, alteri isti longe praeferrem, nisi meliora haberemus. Re vera enim Epitomatoris lectio φιαλαις me quidem iudice (et nunc quidem Coraium quoque adstipulantem habeo) adeo commoda et vera est, ut, nisi per se vetustissimi codicis fide niteretur, vel ex mera coniectura in textum recipi mereatur.

114. Εγω δ᾽ ουτ᾽ αν Αμαλθιης
Βουλοιμην κερας, ουτ᾽ ετη
Πεντηκοντα τε χἠκατον
Ταρτησσου βασιλευσαι.

Sic Anacreontei huius fragmenti contextum numeris suis restitutum do secundum emendationes Casauboni et Tyrwhitti. Omnes enim antiquiores editi habent Εγω τ᾽ αν ουτ᾽, versu secundo ουτε τα, v. tertio τε και ἑκατον, pro quo Sieb. τε χ᾽ ἑκατον. Pro εγω τ᾽ cum Coraio dedi εγω δ᾽; poeta enim sese opponere videtur. Αν ουτ᾽ minus rectum erat, quum particula αν particulae ουτε melius postponatur; praeterea vulgatam Glyconicum metrum respuit. Αμαλθειης, quod habet Fischerus in ed. Anacr. p. 122, idem metrum non admittit; nihilo minus Coraïus illud revocavit. Versu secundo ουτε τα carebat sensu; felicissime Casaubonus

mendam sustulit; nisi forte cum Tyrwhitto et Coraio malis forma Ionica scribere ουτ᾽ ετεα, ut habet etiam Fisch. non adversante metro. Versu tertio ferri poterat τε και ἑκατον, pro quo Fisch. dedit τε χ᾽ ἡκατον, quod versui bene convenit, dummodo coniunctim et sine iota scripsisset τε χἡκατον, ut est in ed. Cor. Sed Siebenkeesii χ᾽ ἑκατον metro adversatur. Ante quartum versum Barnesius ex ingenio inseruit: Αργανϑωνιος ὡς αναξ; qua opera supersedere poterat, si Strabonem inspexisset. Recepere quoque hoc fragmentum Stephanus in poet. lyr. p. 146 et Ursinus in fragm. lyr. p. 133; qui tamen quomodo in textu constituendo versati sint, quum rarissimos hos libros non possideam, dicere nequeo. Ceterum Anacreontem huius fragmenti non esse auctorem, novissime exposuit Bredow. Untersuchungen über alte Gesch. u. Geogr. II. p. 117.

115. Η γαρ οὑτω δεξαιτ᾽ αν τις, η ισον τουτῳ του Ανακρεοντος, η κοινοτερον, ουτε Ταρτησσου πολυν χρονον βασιλευσαι.

En locum adeo obscurum atque perversum, ut in eo enucleando diu laborans nihil aliud profecerim, quam certam de eius corruptione fidem. Atque dudum suspectus fuit Casaubono, nec ulli interpretum intellectus. Interim ista omnium librorum et scriptorum et editorum communis et constans lectio est. Duo tamen videbam; primo deesse obiectum, quod referri possit ad verba δεξαιτ᾽ αν τις. Quare proclivis erat emendatio: το του Ανακρεοντος, ut dudum bene vidit Interpres prior, qui vertit: illud Anacreontis. Dein, non opponenda sibi esse η γαρ οὑτω et η ισον τουτῳ, quae speciosa primi intuitus erat opinio; imo potius η γαρ οὑτω et η κοινοτερον: Sed ne sic quidem interpretatio procedebat, quae praecipue haerebat in verbis η ισον τουτῳ. Quare felicissima est Tyrwhitti coniectura, qui (Coniect. in Strab. p. 13) unam, quae exciderat, literulam refingens legit: μη ισον τουτῳ. Profecto id est, rem acu tangere! Neque ulla umquam verior emendatio fuit. Iam sensus prodit plenus et planus: Vel enim sic accipiat aliquis dictum Anacreontis, se nolle regnare tempus aequale

huic Arganthonio, vel generalius, se nolle regnare tempus longum, ne Tartessi quidem. Fatendum tamen est, vel sic aliquid perplexi restare in verborum constructione, quod abesset, si ita scribere Straboni libuisset: *η γαρ ούτω δεξαιτ᾽ αν τις το του Ανακρεοντος, μη ισον τουτῳ, η κοινοτερον, ουτε Ταρτησσου πολυν χρονον βασιλευσαι.* Ita saltem iungenda verba sunt.

116. *και τοις Κελτικοις δε δια την γειτνιασιν, ὡς ειρηκε Πολυβιος, δια την συγγενειαν.* —

Nullus interpretum, ne Casaubonus et Coraius quidem, hunc locum intellexit propter unam, quae textu excidit, literulam. Vitam civilem moresque mansuetos, quos de Turditanis praedicavit, Celticis quoque adhaesisse ait Geographus, ob vicinitatem, ut scripsit Polybius, ob cognationem. Versio Xylandrina, quam Casaub. et Sieb. retinuerunt, ita habet: Quod et Celticis ob vicinitatem *et* cognationem Polybius contingere scribit. Similiter Guarinus; Penzelius vero verba *δια την συγγενειαν* more suo omittit. Deesse particulam aliquam, sive copulativam sive disiunctivam, apertum est. Quaenam illa sit, quaeritur. Interpretes ita verterunt, quasi scriptum legissent *και δια την συγγενειαν*; quod, licet et Coraio arriserit, accuratius dispicienti neutiquam probabitur. Id enim non vult Geographus, Polybium duplicem eius rei afferre causam; sed suae potius sententiae aliam Polybii opponit. Nimirum ipse Celticis civiliorem vitam tribuit ob Turditanorum vicinitatem, Polybius vero ob cognationem. Cur ita statuam, exponam. Celticos, de quibus loquitur, non istos intelligit, qui circa Nerium promontorium (Cabo Finisterra) Gallaeciam incolentes (lib. III. p. 153, c. 3. §. 4.) huc non pertinent; sed illos, quos eodem loco *τους επι τῳ Ανᾳ* nominat, ad magnum istum, quem Anas versus mare facit, aufractum in utraque Anae ripa habitantes (cf observat. crit. ad c. 2. §. 1. nr. 26.), quorumque notissimam urbem Conistorgin vel Conistorsin supra memoravit p. 141 Cas. c. 2. § 2. Hos vero horumque sedes adeo bene Strabo noverat, ut neque Polybii neque alius scriptoris testimonio de eorum et Turditanorum vicini-

tate indigeret. Ipse potius suo ipsius iudicio vicinitatem fuisse causam scribit, qua Turditanorum mores ad Celticos quoque penetraverint. Contra vero Turditanorum cognatio admodum erat incerta et dubia. Hi enim, etiamsi olim, quum Celtici Gallia relicta in Hispaniam commigrarent, Celticorum cognati sociique fortasse fuerint (quod parum videtur probabile), tamen in tot seculorum decursu Phoenicum, Poenorum, Romanorum denique advenis adeo erant permisti et degenerati, ut cognatio Celticorum pristina prorsus deleretur, ipsique Celtici, ad quos peregrinus sanguis non penetraverat, Turditanorum cognationem vix agnituri fuissent. Haec ipsum Strabonem non latuerunt, ut vel ex iis patet, quae paulo infra de Turditanis adfert; quare Polybii opinionem, quae Turditanorum cognationem huc trahebat, adfert illam quidem, sed tamquam hariolationem incertam et dubiam a sua ipsius sententia, quae multo erat probabilior, iure discernit. His ita expositis, perfacilis erit loci sanatio, modo ne inseras και. Scilicet aut post γειτνιασιν excidit particula ἠ, aut post ὡς excidit δε. Alterutra inserta habebimus, quod Strabo voluit: Etiam Celticis civilior Turditanorum vita adhaesit ob vicinitatem, vel, ut Polybius autumat, ob cognationem. Eundem sensum habebis legendo: ὡς δ' ειρηκε Πολυβιος, δια την συγγενειαν. Utrum praeferas, nil interest; equidem prius recepi: ἠ, ὡς ειρηκε Πολυβιος, δια την συγγενειαν.

117. Παξαυγουστα, —

Vulgata lectio Πεζαυγουστα vitiosa est. Omnes codd. habere Paxaugustam, testantur Casaub. et Siebenkees. Urbs eadem est, quae Ptolemaeo, lib. II, c. 5, et Antonino Παξ Ιουλια, Plinio IV, c. 35 Pacensis colonia. Vid. Cellar. orb. ant. I, p. 77. Hodie Beja est, non vero, ut nonnulli volunt, Badajoz, qua de re vid. Mentell. Hispan. vet. p. 146 vers. German. Mannert. I, p. 343. Ceterum rectius scribi puto duobus verbis Παξ Αυγουστα et Καισαρ Αυγουστα, quae Ptolemaeo II, c. 6, est Καισαρεια Αυγουστα. Interim iam apud veteres eiusmodi nomina coaluere, qua de re adi Cellar. l. c.

118. Στολατοι λεγονται η Τογατοι· —

A nonnullis veteribus libris, inter quos est etiam Reg. Parisiensis, abesse duo illa verba η Τογατοι, Casaubonus adnotavit, quare Siebenk. et Coraius uncis ea incluserunt. Sed firmiter retinenda sunt cum Casaubono, Interprete priori et libris impressis. Ut enim Galli Togati (ἡ Κελτικη Τογατα apud Dionem Cassium, XLVI extr.) dicebantur, qui Romanorum civiliorem vitam et mores cum vestitu induerant, sic eadem de causa hae gentes Ibericae. Atqui stola erat mulierum, toga virorum; quare ab utroque indumento pari iure dicebantur et Stolati et Togati. Porro togam Graeci vertunt τηβεννον, τηβενναν, τηβεννιδα, εσθητα τηβεννικην; quare ipse Strabo integritatem istorum verborum, de quibus agitur, quodammodo testatur, dum infra p. 167 Cas. c. 4. §. 20. his populis, εις τον ἡμερον και τον Ιταλικον τυπον μετακειμενοις, praefuisse scribit legatum sine legionibus, εν τη τηβεννικη εσθητι. Quomodo igitur ipsos Togatos dici nescierit? Aut, si scivit, cur non ita appellaverit, quum tamen cognomine vel minus trito Stolatos appellasset? Sine dubio, quia utrumque cognomen Romanis idem valebat, utrumque Strabo adhibuit et adscripsit. Causa vero, cur verba illa η Τογατοι in nonnullis libris non reperiantur, ea esse videtur, quod librorum istorum scriptores, quum utrumque nomen idem valeat, alterum tanquam otiosum glossema haud cunctanter omittebant.

CAPUT TERTIUM.

§. 1.

117. Εφ᾽ ἃς ευθυπλοιαι· σταδια δ᾽ εισι δεκα. —

Intelligit Geographus intervallum inter promontorium Barbarium (hodie Cabo de Espichel) et Tagi ostia, quod decem stadia, i. e. quartam partem milliarii geographici, complere scribit. Vix quicquam legi absurdius, praesertim, quum a promontorio ad ostia rectam et expeditam navigationem esse addiderit. Mehercule intra spatium adeo breve et pusillum rectam navigationem fieri, vel nemine monente sponte credimus. Quid? quod intervalli istius, si adeo breve et pusillum sibi finxisset Auctor, certe ne meminisset quidem. Tunc enim promontorium illud ipsa ostia Tagi tangere vel claudere rectius diceretur. Et re vera interstitium illud multo longius esse, quaevis tabula indicat; in quo Strabonem, qui cetera harum terrarum interstitia satis recte indicare solet, adeo a vero aberrasse quis credat? Quare dudum mendum in numero suspicatus Casaubonus est, etsi non sustulerit. Si pro δεκα, quod ex depravato siglo numerali ortum videtur, haberemus διακοσιοι, ratio satis bene constaret. Intervallum enim a promontorio Barbario ad Tagi ostia complet fere quinque milliaria geographica, quae aequant 200 stadia. Quare et Coraius dedit διακοσιοι δεκα, numero severius exacto, quam res postulat. Ceterum uno membro cum Coraio rectius legi puto: εφ᾽ ἃς ευθυπλοιας σταδιοι εισι διακοσιοι, i. e. recta navigatione, sive ad lineam rectam facta. Nam rectas esse ad Tagi ostia navigationes, mira erat narratio, quae quid sibi vellet, dudum nescius fui.

120. απο του λεχθεντος πυργου, καθ' ἡν ὑδρευονται ειπον λακεια. —

Plura hic locus habet, quae lectorem morentur. Primum, quaenam ista est turris, supra memorata? Caepionis turris, quae supra adfuit p. 140, c. 1. §. 6., nil huc attinet. Excidisse nonnulla in superioribus Casaubonus putat, quod tamen an recte putet, equidem dubito. Nusquam enim lacunae apparet vestigium; omnia ita bene cohaerent, ut vix locum reperias, ubi de turri quadam sermo esse potuerit. Fortasse igitur ante λεχθεντος nil excidit nisi nomen huius turris, quasi scriptum fuisset: απο του N. N. λεχθεντος πυργου; quod tamen quam verisimile sit, acutiores iudicent. Omnino ullius hic locorum turris apud veteres scriptores mentionem fieri, equidem non memini. Tertiam itaque proponere rationem liceat, quae, etsi non omnibus probetur, certe textui integritatem non derogat. Nimirum τον λεχθεντα πυργον nihil aliud esse suspicor, quam ipsum promontorium Barbarium, quod ob praerupta cacumina, quibus, ut promontoria plerumque solent, in altum assurgit, summis arcis vel turris cacuminibus comparari turrisque dici potest. Quod quidem, etsi πυργουσθαι pro ὑψουσθαι apud Suidam invenimus, paulo insolentius fieri et usu fortasse destitui fateor; nihilo minus tamen, dum quis meliora docuerit (nam pro πυργου si ακρου substituerem, ne nimis audax dicar vel pro glossatore habear, metuo, quum eiusmodi vocis facillimae mutationem in difficiliorem του πυργου a librariis nemo exspectet), haec facillima videtur ratio, locum hactenus expediendi. Egregie convenit, anachyseos distantiam ab eodem promontorio indicari, a quo paulo ante Tagi ostiorum intervallum indicatum est; praeterea haec anachysis, quam non ad ipsum Tagi ostium, sed in superiori amnis parte, ubi in plura brachia divisus est, cogitemus, a dicto promontorio quadringenta stadia abesse facile potuit.

Jam vero, quid fiet verbis ειπον λακεια? Abesse ea a nonnullis codicibus, et Casaub. testatur et Siebenkeesius; scilicet, quia sensu carent, omissa a librariis. Saltem praeponendum est ἡν cum Siebenkeesio, vel

etiam καὶ, ut indigitetur nomen aestuarii. Sed exspectamus non tam aestuarii nomen, si quidem nomen habuit, quam oppidi, cuius incolae ad illud ibant aquatum. Xylandri coniectura, cuius Casaubonus meminit, Ἵππων legentis, inanis est hariolatio, quum nullum in illo tractu locum reperiamus, cui nomen istud fuerit; nisi is Ptolemaei Ὄλιος ἵππων (II. c. 5), Plinii (IV. c. 34, 22) Olisiponem, quae nunc Lisbona est, intellexerit, a loco nostro, qui regiones a Tagi ostiis meridiem et orientem versus sitas perlustrat, prorsus alienam. Ceterum, quid ex corrupto λακεια fecerit, quum ipsius editionem non ad manus habeam, nescio.

Probabilior videtur Casaubono emendatio Hermolai Barbari, suspicantis: ὅπου Λάκεια (potius Λάγκεια); nam huius nominis oppida apud veteres leguntur. Unum in Asturia, quod validissimam civitatem Florus lib. IV. c. 12, appellat, sed a loco nostro prorsus alienum. Cf. Dio Cass. LIII, p. 514. Ptol. II, c. 6. Duae vero aliae Lanciae, quae in pontis a Traiano trans Tagum constructi inscriptione notantur, fuerunt quidem in Lusitania, altera cognominata Transcudana, altera Oppidana; Ptolemaeo, lib. II, c. 6, Λαγκια Ὀπιδανα. Plinius lib. IV, c. 35, 22. utramque meminit. Plura de his disserentem lege Cellarium in orb. ant. I, p. 73. Sed utraque quum inter medium fere Tagum et Durium, longa insuper distantia a maris litore, sita fuerit intra Vettonum fines (ita certe in Mentellii aliisque tabulis geographicis notantur; cf. Mannert. I, p. 348); neutra loco nostro ne minimum quidem convenit, Barbarique emendatio cum Xylandrina plane eiusdem est farinae. Ceterum, si quis oppidi nomen mecum exspectet, cuius incolae ex aestuario isto aquas petiisse dicantur, is interpunctione deleta legat potius οἱ ἐν Λαγκείᾳ. Sed, uti dixi, Lancia sive Lanceia missa esto.

Pari certe vel meliore etiam iure meam ipsius, qua satis diu delectatus fui, coniecturam proponere licebit. Salaciam, nobilem istam Lusitaniae urbem, quam supra c. 2. §. 6. (cf. observat. crit. nr. 60) Straboni reddidi, hic quoque latere suspicabar. Sita illa fuit ab Evora occasum versus, ubi, ut plurimi cen-

sent, nunc est Alcacer do Sal, iuxta fluvium Callipos (nunc Sado sive Caldao); dissentiente tamen Mannerto nostro I, p. 341, qui, Ptolemaei numeros latitudinis, qui et ipsi maiores sunt, vitiose adhibens, hodiernum Setuval illam esse affirmat. Putabam igitur, satis convenienter legi posse: καθ' ἣν ὑδρευονται οἱ εν Σαλακειᾳ, unde aquantur incolae Salaciae. Sed rem accuratius perpendens hanc quoque coniecturam, quantumvis arrideat primo conspectu, improbavi. Nam nec Salaciae locus satis convenit, quum hodiernum Alcacer do Sal a mari et Tagi ostiis fortasse nimis remotum, Setuval vero litori nimis sit propinquum. Praeterea quum Salacia, sive Alcacer sit sive Setuval, satis validum flumen adiacuerit, quomodo incolae aqua fluviatili affatim instructi, ex aestuario aquas marinas petere dicantur, equidem non assequor. Omnino vero id ipsum est, ex quo nova loco nostro suboritur difficultas. Nam cuiuscumque demum oppidi nomen sub corruptis ειπον λακεια latere statuerimus, non desinet esse mirum, homines ex aestuario marino aquas salsas petiisse, quarum nullus in rebus domesticis usus (nam de sale marino conficiendo nullum hic vestigium) excogitari potest. Quare non immerito etiam verbum ὑδρευονται suspicionem excitat, et dudum excitavit Xylandro, qui pro eo malebat ἱδρυνται. Defendit quidem vulgatam Casaubonus, quia infra p. 174, Cas. extr. c. 5. §. 12, de Baetis exundationibus Strabo ita scribit: τοτε δε ὑπερχεισθαι το ὑδωρ, ὡστε ὑδρευεσθαι τους στρατιωτας αυτοθι. At loci similitudo nulla est, si rem ipsam, non verba, quorum specie illudi sibi passus est Casaubonus, spectaveris. Ibi enim agitur de aqua fluviatili, usui domestico admodum conveniente, non de marina. Igitur locus est dissimillimus, nec quicquam inde auxilii ad defendendam vocem ὑδρευονται peti potest. Quae quum ita sint, Xylandrum rectam viam patefecisse, admodum fit probabile. Strabo enim, quum de aestuario late patente loquatur, quid est, quod magis citiusque exspectemus, quam adiicere eum nobilioris oppidi nomen, quod iuxta illud situm erat? Id ipsum supra fecit p. 143, Cas. c. 2. §. 5, ubi plura oppida nominantur, aestuario Astensi adia-

centia. Quodsi itaque in contextu ita scriptum legeremus: καθ' ἣν ἱδρυνται πολεις τινες, εν αἷς και Σαλακεια, nihil fere superesset, quod nos teneret, nisi quod fortasse paulo remotior sita erat Salacia, quam quae tangeret aestuarium. Haec dudum scripseram, quum incidi in Palmerii notam, editioni Strabonis Almelovenianae insertam, quae et Palmerium, in via a Xylandro patefacta ulterius progressum, in eandem Salaciam incidisse indicat, in quam et ego incidi. Si liceat divinare, ait, legerem ἱδρυνται Ἱππων και Σαλακια, ut sit: ubi sitae sunt Hippon et Salacia. Ptolemaeus has duas urbes promontorio Barbario propinquas facit (sed minus tamen propinquas, quam res postulare videtur. Gr.), planeque ita collocat, ut probabile sit, idem hic fecisse Strabonem. De pyrgo sive turri nihil habeo." „Quid? quod et ipsum Xylandrum pro λακεια refinxisse Σαλακιαν, nunc demum comperio. Hipponem quidem sive Olisiponem, uti Xylander, ita Palmerius sibi habeto (nam fieri nequit, ut Olisipo et Salacia uni eidemque aestuario adiacuerint, quum Tagus utramque interfluat; quod Corains quoque sensisse videtur, dum Salaciae obscuram istam Laceiam praetulit); at Salacia iterum (iam enim aquatio marina non amplius impedimento est) adeo mihi arridet, ut parum absit, quin eam in textum recipi velim.

Verumtamen, etsi in loco adeo corrupto et perplexo omnia tentare et liceat et necesse sit, in textu constituendo, ne audacior viderer, simplicissimam rationem sequi malui, quae ex vulgata lectione aquationem ex aestuario et aestuarii nomen agnoscat, licet plura sint, quae, ut supra exposui, repugnent. Nomen vero, aestuario satis bene conveniens, exigua depravatae vocis mutatione restituit Siebenkeesius, pro λακεια scribendo Λακκεῖα (imo Λακκαῖα). Nimirum ὁ λακκος Latinorum est lacus, fovea, palus. Unde λακκαῖα ὕδατα sunt aquae lacustres, palustres, etiam cisterninae. Igitur, quoniam ex aestuario aquas petebant, nomen ei adhaesisse putandum est Λακκαῖα, i. e. Aquae palustres s. cisterninae, Cisternensumpf. Quare interim legatur: καθ' ἣν ὑδρευονται, και ειπον Λακκαῖα. Vix tamen, aestuario unde nomen Graecum venerit, asse-

quare. Num forte Strabo vocem indigenam ita vertebat? Apud hunc certe το λακκαιον ὑδωρ vel τα λακκαια ὑδατα saepius occurrunt, ut hoc ipso libro III. p. 173, Cas. c. 5. §. 10: δεξαμενας του λακκαιου ὑδατος. Lib. XII. p. 536, Cas. c. 2. §. 5: λακκος ἁλμυρου ὑδατος. Lib. XVI. p. 753, c. 2. §. 13: εκ των ομβριων και λακκαιων ὑδατων. Jam Aristoph. Eccles. v. 154 habet λακκους ὑδατος. Ceterum cf. Athen. Deipn. III. c. 35. (c. 98.) p. 125; et ibi Schweighaus. Coraius vero, Xylandri et Herm. Barbari coniecturas iungens dedit: καθ᾽ ἡν ἱδρυνται Ολισίπων και Λάκεια; quae nomina quomodo defenderit, legere cupio, quo lubentius eius partes amplecti possim. Nam Olisiponem etiamsi invitus admiserim, Laceiam tamen prorsus ignoro. Judicent sapientiores. Interim de Coraii emendatione valde dubito et metuo. p. 152.

121. και νησιον απολαμβανειν. — Νησιον recte recepit Siebenkeesius ex codd. suis, dudum iubente Casaubono. Antea in editis legebatur νησον; at sequuntur απολειπον, ευαλσες, ευαμπελον. Ευαλσες vero idem recepit ex verissima Casauboni coniectura pro ευαλθες, quod erat in codd. Cas. nec non Stroz; sed neutiquam ferendum. Ευαλσες vero iam est in edit. Bas. Hopperi, forte quoque in Aldina, sive sit ex codice sive ex emendatione profectum Videtur tamen haec vox, cui sua bene constat analogia, soli Straboni propria; an saepius in eo occurrat, nescio. Ευαμπελος quoque an aliis scriptoribus usitatum sit, dubito; in Strabone tamen aliquoties legitur, ut lib. VI. p. 269, Cas. c. 2. §. 3. XIII. p. 628. c. 2. §. 11, et saepius. Utraque voce ditari poterit Thesaurus Stephani.

122. Κειται δ᾽ ἡ νησος κατα λογον απολιπειν κειμενην εν ορει, — Tria illa verba κατα λογον απολιπειν diu me vexarunt, nec dum vexare desinunt. Et sunt sane corruptissima; nec agnoscit ea interpres prior. „Quin si ea sustuleris, Casaubonus ait, plana erit et perspicua sententia, quae nunc Oedipo aliquo opus habet.“ Sane id quidem facillimum; sed idem est, nodum solvere ense. Praeterea sunt quoque loca, quae hanc medicinam ne admittant quidem, cuius rei

hic habemus exemplum. Tolle verba ista, et habebis cum interprete priori, satis ridicule, insulam in monte; deinde participia αφεστωσαν et εχουσαν non habebunt, a quo pendeant; quare ante αφεστωσαν deesse quaedam Siebenkeesius perperam opinatur. Quid? quod ulterius vim suam tendit, ut mox videbimus, huius loci tractatio. Haec omnia quomodo fugere potuerint Casaubonum, cuius sagacitatem — et felicissimum in rebus criticis ingenium non satis admirari possumus, vix aliquis capiat. Diligentius itaque dispiciamus, quo nos rerum series ducat.

Ante omnia refellenda est Casauboni inanis hariolatio, cui verba ista ex margine in textum irrepsisse videntur, quam opinionem temere repetit Siebenkeesius. Glossemata satis perspicua esse solent; loca saltem adeo corrupta et obscura raro glossematum speciem prae se ferunt. Putat autem in textum irrepsisse hac ratione: Quum dixerit Strabo, insulam habere longitudinem triginta stadiorum, πλατος autem μικρον απολειπον, notasse aliquem ad haec verba: κατα λογον γαρ απολιπειν. Scilicet latitudinem diminui κατα λογον, i. e. iusta proportione esse minorem longitudine. Quasi insularum figura ad certam et longitudinis et latitudinis proportionem exigi et definiri possit! Ecquis porro glossator talia adnotaverit? Praeterea loco alieno inserta essent; nam post του μηκους fuissent inserenda. Denique vel sic vox κειμενην restat sine sensu. Igitur cave, ista verba deleas; quin omni cura retinenda sunt.

Scilicet urbis alicuius nomen sub iis, vel potius sub uno isto λογονα (nam πολιπειν refingemus in πολιν εν) latere, persuasum mihi habeo; nil certius est. Urbem, inquam, meminit Geographus, iacentem in monte prope fluvium, quingenta stadia a mari dissitam, habentem fertiles agros, facilemque in Tago navigationem vel super Moronem usque. Simillime supra (p. 142, Cas. cap. 2. §. 3), describebantur navigationes in Baeti fluvio a mari ad Hispalim, Ilipam et Cordubam. Sed quaenam ista sit urbs, id iam quaeritur, vix autem a quopiam explorabitur, nisi fuerit Oedipus. Ipse Casaubonus, meliorem certe viam ingres-

sus, suspicatus aliquando erat, quia Moronis paulo infra mentio fiat quasi iam alibi nominatae, legendum hic esse: κατα Μορωνα πολιν. Sed duo sunt, quae obstant, quo minus rem acu tetigerit. Primum, dum paulo infra de navigatione in Tago versus fontes (ἀναπλῳ) Strabo loquitur, eamque aliquantisper maioribus navigiis, dein lembis fluviatilibus perviam esse dicit, etiam ulteriorem navigationem vel trans Moronem fieri subiungit; unde patet, urbem istam, de qua quaerimus, a Morone diversam, et satis longo intervallo infra Moronem versus Tagi ostia positam fuisse. Duae itaque fuerint urbes necesse est, altera terminus, uti dicunt, a quo, altera terminus, ad quem. Casauboni autem coniectura utrumque terminum eundem facit, quasi scripserit Geographus: Moron navigationes in Tago habet, procedentes vel ultra Moronem. Deinde vero, ubi paulo post de Bruti contra Lusitanos expeditione sermonem fecit, hae urbes, ait, omnium quae Tago adiacent, munitissimae sunt. Plures itaque, saltem duae, urbes antea nominatae sint, necesse est. Et duas re vera habemus, alteram istam, cuius nomen depravatum est, Moronem alteram.

Casaubonus autem, sive deleret corrupta ista verba, sive commutaret in κατα Μορωνα πολιν, aliam, quae subinde sequitur, corruptelam, levi admodum auxilio indigentem, male sanare coactus fuit. De bellis contra Lusitanos loquens Srabo Brutum Morone oppido tanquam propugnaculo atque borreo usum esse, et ex eo impetus suos in Lusitanos direxisse narrat; deinde addit:

123. *Τοις δε του ποταμου πλιθροις* (leg. *πλευροῖς* cum Cas.) *επεχειρησε τηνολοσειν.* — Satis quidem monstrosam ultima vox prae se fert speciem, sed monstri medela adeo in promtu est, ut vix quemquam fugere possit. De expugnata a Bruto Lusitania sermo est; ergo *επεχειρησε την ἅλωσιν* Strabonem scripsisse, quis non videt? Id primo contuitu mihi se dabat, et postea Siebenkeesio quoque, licet Casaubonianae emendationi temere acclamanti, se dedisse vidi. Certe ipse Casaubonus ita emendasset, dummodo li-

cuisset. Huic, inquam, non licuit. Is enim, quum paulo supra κατα Μορωνα πολιν legendum, aut verba corrupta omnino delenda esse censuisset, hunc locum ita refingere coactus est, ut plures urbes haberet, quae postea in Lusitania munitissimae dici possint. Itaque corrigit: επετειχισε τινας πολεις. Quam emendationem quantumvis iactet atque commendet, plane tamen a vero aberrasse eum iudico. At vero aliter non potuit. Recte autem ex πλιθροις restituit πλευροῖς, quamvis et Xylandri ῥειθροις ferri potest. Coraius dedit πλημμυραις, quod improbo, quia loco non convenit. Brutus enim inde a Tagi ripis, quae et receptacula et commeatum ei praebebant, Lusitanos adortus est, qua in re Tagi inundationes (ut Guarinus vertit, qui Coraio imposuisse videtur) nihil iuvabant. Guarinus in corrupto loco genio indulsisse videtur.

Iam igitur vides, candide Lector, quomodo, quod supra monebam, prioris corruptelae curatio vim suam ulterius tendat. Quodsi enim urbis alicuius Tago adiacentis (modo ne Moronis) nomen isto loco fuisse statuerimus, omnia, quae sequuntur, bene procedent, facilique negotio et restitui et explicari poterunt.

Tu vero, si huius urbis nomen certo indicaveris, magnus mihi eris Apollo. In Tagi ad ostia vergentis ripa australi inveniuntur quidem nonnulla apud veteres geographos oppida, at minuscula tantum et obscuriora, quam quae urbi ampliori, qualem Strabo h. l. describit, satisfaciant. Multum studii temporisque impendi, ut nomen illud, quod quaerimus, expiscarer; quid profecerim, quove tandem delatus sim, Lectorem non celabo, virorumque me acutiorum iudicio ingenue submittam. Ante omnia diu cogitabam de ipsa Olisipone. Semper enim miratus sum, Olisiponis (Lisbonae nostrae) nullam in toto Strabone mentionem fieri, urbis nobilissimae adeoque vetustae, ut vel Ulyssi conditam Marcianus, Solinus (c. 23) aliique, quamvis cum Straboniana Odyssea procul dubio permiscentes, crediderint, quamque iam Varro (de R. R. II. c. 1) an fabulosa ista de equabus Lusitanicis narratione, et multi deinceps veterum scriptores, imprimis vero Romani, nominant. A Caesare deinde

vel Augusto colonis Romanis deductis amplificata, ad municipii civium Romanorum dignitatem evecta, Felicitasque Iulia (Plin. IV. c. 35, 22.) cognominata est. Haec uni fere Geographo nostro incognita fuerit? Odysseam enim Strabonis (lib. III p. 149 et 157 Cas. c. 2. §. 13 et c. 4. §. 2), urbem istam fabulosam eamque a nonnullis veterum (ut Melae III. c. 1) et recentiorum (de qua re adi Thom. de Pinedo ad Steph. Byz. s. v. Ωδυσσεις, Harduin. ad Plin. l. c. Cellar. orb. ant. I. p. 70) pro Olisipone habitam, ne in Lusitania quidem, nedum ad ostia Tagi fuisse, si quidem omnino fuerit, ex ipso Strabone cognosces, qui eam in Baetica, haud ita procul a Malaca, in montibus collocat. De Olisiponis autem situ Strabonem adeo male informatum fuisse, ut eam cum Odyssea ista pro eadem habuerit, prorsus incredibile est. Nihilo minus Olisiponem alto praeterit silentio. Atqui hic, ubi Tagi ostia perlustrat, Olisiponem nominare debebat, si quidem cognitam habuit. Itaque si quis verba ista κατα λογον απολιπειν refingeret in: κατ' Ολισιπωνα πολιν, illum vexatissimo loco non male consuluisse existimabam. Saltem loci descriptio talis est, qualem de urbe ampliore et mercaturam in Tago faciente exspectes. Verumtamen, quae huic coniecturae repugnent, non celabo. Ante omnia loci situs, qui quingenta stadia (i. e. duodecim milliaria geogr. cum dimidio) a mari distare dicitur, Olisiponi non convenit; nisi quis aut Strabonem in tam remotis terris versantem facile a vero aberrare potuisse, aut numerum a librariis depravatum esse dixerit; talia vero quam parum h. l. satisfaciant, ipse sentio. Nam re vera Auctor noster nunc non tam in ipsis Tagi ostiis extremis versatur, quam potius in latiori isto sinu, in quem Tagus, antequam mari misceatur, se diffundit, pluribusque aestuariis campos inundat. Iam in superiore quodam aestuario, vel forte supremo (εν τη επανω αναχυσει) insulam Strabo collocat, et iuxta insulam urbem istam, quam quaerimus. Deinde Olisipo, quam omnes Lisbonam esse affirmant, in Tagi ora boreali sita est; Strabo vero oram meridionalem perlustrat. Veteres quidem geographos a veris ostiis Tagi versus meridiem

Olisiponem adscribere, non me latet, cuius rei causam aperuit Mannert. I. p. 342; sed nihil inde pro Olisipone Straboni vindicanda proficitur, quia vel sic in ora extremi sinus boreali sita ex eorumdem sententia sita esse potuit. Ceterum Strabonem de Olisipone silere, ea causa esse videtur, quod, ut in toto opere admodum paucis, ita in Hispania describenda nullis usus est scriptoribus Romanis, in Graecis vero suis, Posidonio, Polybio, Asclepiade, Artemidoro et Eratosthene Olisiponem non invenisse videtur. Quae quum ita sint, Olisiponem plane missam feci.

Denuo igitur et summa cum diligentia geographos perlustranti aliud tandem mihi se obtulit oppidum, quod eo ipso fere, quem Straboniana descriptio poscit, loco situm, Straboni emendando videtur accommodatissimum. Nimirum Ptolemaeus lib. II. c. 5. Celticorum in Lusitania ad Tagum usque habitantium oppida recensens primo loco Lancobrigam habet, inter Celticas urbes maxime versus boream, eamque, ut ex eiusdem numeris constat, ipsam Tagi oram proxime adiacentem. Praeterea haec Lancobriga ab Olisipone versus orientem septunce unius gradus distabat, ab ora vero maritima fere dodrante vel dextante, qui tantum non aequat Strabonis quingenta stadia. Sita igitur erat Lancobriga ad ipsa Tagi ostia superiora, ubi in quatuor brachia dividitur, pluresque insulos efficit, quarum unam Strabo meminit, iuxta quam urbem sitam fuisse, scribit cuius nomen in contextu corruptum est. Eodem loco nunc positum est Benavente oppidum cum Pago Foz. Vid Mannert. I. p. 344 et tabulae geogr. Mentelli, item Streitii Winariensis. Praeter hanc vero Lancobrigam alia duo oppida eiusdem nominis erant, alterum ad sinum Gaditanum, Lacobriga Melae III, 1, hodiernum Lagos; alterum prope Durium in Vaccaeorum finibus, in Antonin. Itin. et Plinio III, 3 (4) obvium, qui incolas Lacobricenses appellat. Neutrum vero huc pertinet. Afferre tamen volui, ne fiat commutatio. Illa vero Ptolemaei Lancobriga quum eo ipso loco sita fuerit, in quo describendo Strabo versatur, facilis neque improbabilis inde coniectura mihi exorta est, verba Stra-

bonis corrupta, sub quibus huius urbis nomen lateat, ita posse refingi: Κειται δ' ἡ νησος κατα Λαγκόβριγα πολιν, εἰκ κειμενην εν ορει etc. Quid? quod corruptum λογον genuinae vocis vestigia satis aperte prodit. Id quoque coniecturam egregie firmat, quod Plutarchus in Sertor. c. 13, Lancobrigam urbem (incolos Λαγγοβριτας vocat) in bello Sertoriano a Metello Pio frustra obsessam scribit; scilicet, ut Strabo tradit, olim a Bruto ita firmiter munita fuerat, ut Metelli impetus facile sustinere posset. Cellarius quidem I, p. 116. Plutarchi Lancobritas ad Vaccaeorum illud oppidum refert; at fallitur. Nimis enim remotum erat hoc oppidum a loco, quo tum res gerebatur, quam ut de eo cogitari possit; quare etiam Mannert. l. c. Plutarchi narrationem ad nostram Lancobrigam, Tago adiacentem, merito retulit. Ceterum Lancobrigam urbem fuisse satis amplam et validam, pluribusque cinctam suburbiis, ex Plutarchi quoque narratione apertum fit.

Haec satis sunto de loco difficillimo, in quem, quum urbis alicuius nomen ut sibi reddatur ipse alte clamet, hancce Lancobrigam non sine magna probabilitatis specie vel iure adeo postliminii restituere ausus sum.

Dolendum est, Livii prolixiorem bellorum contra Lusitanos gestorum enarrationem intercidisse, quae si exstaret, nostro Strabonis loco sine dubio egregiam affunderet lucem. Ceteri enim, quos fortuna nobis servavit, scriptores, Appianus, Eutropius, Florus, Livii epitomator, Orosius et qui sunt alii, brevem tantum istarum rerum mentionem faciunt. — Coraius Casaubonum sequens dedit κατα Μορωνα πολιν; deinde επεχειρησε την ἁλωσιν, et postea πολεων αὑται κρατισται; quae quomodo concilientur, equidem nescio.

§. 2.

124. Οἱ δ' ὑπερκειμενοι των λεχθεντων ορων — Montes Marianos et qui inter Anam et Tagum interiacent, intelligit Auctor, quorum longe supra, p. 142 Cas. c. 2. §. 3, mentionem fecerat. Nam post illos de nullis montibus sermo fuit. Mirum itaque est, Aucto-

rem subito ad istos montes redire, et ita loqui, quasi in proxime antecedentibus eorum meminisset. Magis etiam mirum est, quomodo hic, ubi in occidentalibus Iberiae regionibus descibendis versatur, repente, postquam Tagi decursum obiter adiunxit, interiorum regionum populos nullo facto transitu breviter tangat, tumque iterum ad Tagi ostia resiliens Lusitaniae descriptionem subiungat. Omnino itaque tota haec brevis sectio, quam secundam feci, loco alienissimo inserta esse videtur. Quin si eam sustuleris, tertiae sectionis verba: Του δε Ταγου τα προς αρκτον, ἡ Λυσιτανια εστιν, primae sectionis fini egregie se adiungunt, secundae vero pessime. Igitur casu quodam in antiquo codice, ex quo seriores subinde manaverunt, sectio ista huc translata esse videtur, quum primitus legeretur loco supra citato p. 142 Cas. c. 2. §. 3, post verba: Ὑπερκειται δε και τα μεταλλειας εχοντα ορη· καθηκει δε ταυτα προς τον Ταγον, vel etiam post illa: Τοιαυτη δε και ἡ Βαιτουρια etc.

125. Της εντος στηλων — Vulgata lectio εκτος στηλων neutiquam ferri potest, ut dudum bene docuit Casaubonus. Nam sermo est de Oretanorum regione, quae ad Internum quidem, neutiquam vero ad Atlanticum mare pertingebat. Sed codices quoque sat multi εντος exhibent. Praeterea infra quoque p. 156 Cas. c. 4. §. 1, ipse Strabo idem dicit.

126. δι᾽ ὧν ὁ Δουρείας ῥει — Codd. Reg. Bemb. Δούριος. Notemus variam huius nominis, ut aliorum, in Strabone scripturam. Paulo infra p. 153 et 154 Cas. c. 3. §. 3 et 5, fluvii nomen est Δούριος, p. 162 Cas. c. 4. §. 12, est Δουρίας, p. 166. c. 4. §. 22, iterum Δουρείας; eadem pag. §. 21, Δουρίου incertum est, sitne a Δουρίας an a Δούριος derivandum. Ptolemaeo et Appiano vocatur Δωριος et Δοριος. Similiter in Strabone legitur Καρπητανοι et Καρπιτανοι, Τουρδετανια et Τουρδιτανια, Βαστητανοι et Βαστιτανοι, Ουακκαιοι et Ουακκαιοι, Κασταλων et Κασταλων, Αστουριοι et Αστυρες, Ακουΐτανοι et Ακυΐτανοι, et quae id genus alia sunt. Quae inconstantia utrum semper librariorum culpae, ut plerumque solet, an ipsi auctori tribuenda sit, equidem non diiudico; posterius tamen verisimilius videtur, quum quam parum in scribendis

nominibus geographicis, imprimis terrarum remotiorum, veteres sibi constiterint, notum sit. Ut in variis, quibus utebantur, auctoribus nomina varie scripta inveniebant, ita et ipsi deinde hanc varietatem in operibus suis propagabant. Igitur an illi recte faciant, qui, ut ista varietas tollatur, semper eandem scribendi normam sequuntur, dubito; hi scriptorem potius, quam librariorum menda corrigere videntur. Coraium hac nota tangere volui. Aliter tamen res sese habet, quum vertimus in linguam vernaculam, quae talem discrepantiam merito respuit. Tunc unam scribendi normam semper tueri et licet et convenit. Si quis tamen etiam graecam lectionem sibi constare malit, is eligat formam notiorem, eamque ceteris scriptoribus plerumque usitatam. Huic itaque semper scribendum erit Δουριος, et paulo infra pro Αστουριων ~~et~~ Αστυρων, ut ipse textus habet pag. 162 Cas. c. 4. §. 12 et bis p. 167 Cas. c. 4. §. 22. Item pro Αστουρους p. 155. c. 3. §. 7, Αστυρας, et pro Αστουρων p. 161. c. 4. §. 10, Αστυρων. Ego tamen nihil muto.

127. Καιτουλων και Ωρια — Ecce! iterum Castulonis nomen corruptum, ut semper, legitur, qua de re vide, quae supra monui ad cap. 2. §. 3. nr. 35. Ex Artemidoro haec transcripsisse Strabonem, docemur a Stephano, qui illius locum huic Strabonis plane geminum s. v. Ωρισια ita subiicit: Αρτεμιδωρος εν δευτερῳ γεωγραφουμενων· Αμφοτεροι γαρ, φησι, κατοικουσι την παραλιαν και τινα της μεσογειου· πρωτον μεν Ωριτανοι· πολεις δ' εν αυτοις εισι μεγαλαι Ορσια και Κατάλων. Utriusque autem oppidi nomina mendum habent. Pro Κατάλων in promtu est Κασταλὼν, uti dudum refinxerunt Casaubonus et Thomas de Pinedo. Accedit ipsius Stephani auctoritas, qui v. Κασταλων illud nomen, iterum ex Artemidoro desumtum, recte scriptum dedit. Strabo itaque, qui Castulonis nomen, si non omnino, certe hoc loco ex Artemidoro transtulit, quin Κασταλὼν scripserit, nullum superest dubium.

De altero autem nomine, de Oria inquam, litigari poterit. Stephanus habet Orisia, in contextu Orsia; Strabo Oria. Iam quaeritur, uter ex altero sit corri-

gendus, siquidem omnino correctione opus est. Casaubonus Strabonis Oriam defendit, et ita Stephanum quoque scripsisse affirmat. Ossia quidem aperte corruptum est, atque mutandum vel in Orisia vel Oria; sed Orisia, quum iusto secundum literarum seriem loco legatur, recte legi videtur, ideoque Ορσια in Ωρισια cum Thoma Iudaeo recte mutabimus. Iam vero, quum uterque ex Artemidoro transtulerit, Strabo potius ex Stephano corrigendus videri potest; nisi forte, quod paene crediderim, in vario, quo ambo utebantur, Artemidori exemplari varie nomen illud legebatur; quod si concesseris, sua utrique constabit lectio. Quare equidem nihil mutandum censeo. Quid? quod tertium adeo accedit oppidi nomen, et illud quidem, derivationem si spectes prioribus istis probabilius. Scilicet Ptolemaeo, lib. II. c. 6, dicitur Ωρητον Γερμανων, et Plinius III. c. 4, de oppido isto loquens: Oretani, ait, qui et Germani cognominantur. Igitur Oretum oppidi verum nomen fuit, unde dicti sunt Oretani. Praeter hoc vero nomen, Oria quoque et Orisia, Graecis saltem scriptoribus, in usu fuisse videntur. Quare dudum Cellarius, I. p. 123, et post eam Mannertus, I. p. 390, tria ista Oreti oppidi nomina agnoverunt. Oretum autem verum oppidi nomen fuisse, inde etiam patet, quod hodie quoque in veteris Castulonis confiniis Ureto oppidum exstat, de quo vid: Mentell. Hispan. vet. p. 196 vers. german.

§. 3.

128. Και τοις Ιβηρσιν, —

Iberi neminem offenderunt nisi Coraium, qui eos asteriscis notavit. Mira utique lectio, quasi Iberi singularem quandam et peculiarem Iberiae gentem effecerint! Omnes tamen libri in illa conspirant. Veram tandem lectionem ex cap. 4. §. 12, expiscatus sum, ubi inter Celtiberos et Cantabros Berones habitasse dicuntur. Hos igitur Berones Gallaeci orientem versus attingebant. Quare lego και τοις Βήρωσιν Lapsus erat facilis, Berones ignorantibus. Maior eiusdem nominis deturpatio est in fragm. Livii, lib. XCI, ubi Vironum legitur pro Beronum; cf. edit. Giovenat. p. 64.

8

Paulo ante pro Αστουριων Cas. vult Αστουρων vel Αστυρων; sed cf. obs. ad §. 2. nr. 126.

p.153 129. Το μεν ουν μηκος μυριων και τρισχιλιων σταδιων — Igitur Lusitaniae longitudo fuit tredecies mille stadia, quae efficiunt 325 milliaria geographica. Credat Iudaeus! Casaub. et Sieb. assentiuntur Xylandro, putanti e notis α, τ, fuisse factas ι, γ, h. e. positum esse 13000 pro 1300. Legendum itaque foret: χιλιων και τριακοσιων. Strabo etsi numeros suos raro notis consignasse, sed plerumque integris verbis expressisse videatur, hoc tamen loco ista coniectura satis bene convenit, si quidem, quod bene notandum, Lusitaniam sensu strictiori a Tago usque ad Durium intellexerit. Strabonem enim in Lusitaniae finibus constituendis sibimet ipsi parum constare, et Lusitaniam modo maiorem modo minorem exhibere, obiter tantum, quum uberior huius rei expositio non sit huius loci, monitum esto. Quodsi vero sensu latiori Lusitaniam ad ipsius Strabonis descriptionem paulo ante ab ipso datam usque ad oceanum septemtrionalem producimus, tunc mille et trecenta stadia minime sufficiunt, sed ter mille, quae et a Coraio praelata video, potius adsint necesse est. Igitur ut Strabo saltem hoc loco, eodemque de Lusitania primario, sibi constet, μυριων και delenda, τρισχιλιων vero retinendum esse iudico, ut legatur: το μεν ουν μηκος τρισχιλιων σταδιων. Quae lectio, praeterquam quod ad vulgatam propius accedit, rei ipsius veritate egregie confirmatur. Scilicet ter mille stadia efficiunt septuaginta quinque milliaria geographica, sive quinque gradus latitudinis, qui a Tagi ostiis usque ad oceanum borealem Lusitaniae longitudinem ad unguem constituunt.

Ceterum talia loca, cuius generis in Strabone s… multa occurrunt, negligentiam et manum corruptri… dormitantium librariorum, quin etiam indoctorum … scitiam et temeritatem vel maxime ostendunt, qua… tumque homines isti sibi permiserint, manifestum fi… Fierine potuisse, ut verba scriptoris adeo depravarentur et immutarentur, ecquis crediderit? At vero non semper depravationes, imprimis numerorum, adeo manifestae sunt, ut certis argumentis primo quasi incursu

destrui possint. Critico igitur et emendatori Strabonis, cuius opus tot mendis foedatum habemus, in emandando aliquid concedendum esse arbitror; modo ne inanes captet horiolationes, nec levibus indulgeat lusibus ingenii; ostendat potius emendandi necessitatem, et coniecturas, quas proposuerit, idoneis argumentis roboret.

130. Ἤδη καὶ — Nihili est mirus hicce transitus, quod bene vidit Coraius, qui dedit ᾗ δὴ, i. e. qua ratione, quapropter, unde etiam, quo respectu. Recte Penzelius: Daher, etsi non ita erat in Graecis.

131. Καὶ ἀνταποδιδούσας τῇ Ἰβηρίᾳ Τἀναντία γὰρ — Haec omnium librorum et scriptorum et editorum communis lectio neminem hucusque, neque Coraium, offendit. Quod valde miror. Accuratius enim si quis hunc locum examinaverit (nam obiter legentem non offendit), is vitium alicubi subesse intelliget, idque in ultima periodi voce τῇ Ἰβηρίᾳ deprehendet. Aristoteles in eo errasse dicitur, quod aestuum marinorum inter Mauritaniam et Hispaniam vehementiam praeruptis et asperis litoribus adscripserit, quae undas duriter exceptas in Hispaniam repercutiant. Quaenam sunt praerupta ista et aspera litora, Mauritaniae, an Hispaniae? Atqui Hispaniae litus planum et humile est; πεδιὰς πᾶσα καὶ μέχρι θαλάττης (ut ipse Strabo paulo ante docuit); et deinde: θινώδεις εἶναι καὶ ταπεινὰς τὰς πλείστας; et supra p. 142 Cas. c. 2, §. 4: ἅπασα γάρ ἐστι πεδιὰς ὑπὲρ τῆς παραλίας ἐπὶ πολύ; denique ead. pag: φέρεται πρὸς τὰ εἴκοντα μέρη τῆς γῆς εὐπετῶς. Nihilo minus αἱ ἄκραι ὑψηλαὶ καὶ τραχεῖαι, si quidem Aristoteles de planis et humilibus Hispaniae litoribus aliquid falsi tradidisse dicitur, ipsius Hispaniae esse debent; hae vero quo modo in Hispaniam fluctus repercutient? Imo in Mauritaniam. Quare hactenus certe pro τῇ Ἰβηρίᾳ legendum est τῇ Μαυρουσίᾳ. Et re vera ita legendo locus satis bene expeditur. Sed quum de undarum motu inter utramque oram reciprocante sermo sit, αἱ ἄκραι ὑψηλαὶ καὶ τραχεῖαι ex Aristotelis opinione non solum Hispaniae sed et Mauritaniae sunt, quae undas duriter exceptas in oppositum litus in vicem repercutiunt, neutiquam vero in solam Hispaniam. Itaque a supino librario vel alio quodam

casu verba transposita et paulo deformata esse videntur, in iustum ordinem et formam ita refingenda: *και ανταποδιδοντας εις τάναντια Της Ιβηριας γαρ θινωδεις* etc. Sic locus optime constabit, et Posidonii sententia, quae Aristotelem refellit, erit perspicua. Fac vero, Strabonem non ita scripsisse, ita certe ei scribendum erat. Duplex igitur Aristotelis error notatur; alter quidem, quod Iberiae et Mauritaniae litora alta et praerupta esse affirmaverat, quum sint plana et humilia; alter vero, quod ex hac utriusque litoris natura ingentes, qui in Iberiae ora deprehendebantur, aestus marinos derivaverat, quos vehementi potius oceani versus fretum Gaditanum urgentis incursui tribuendos esse supra p. 143 Cas. c. 2. §. 4, a Strabone recte expositum est. Ceterum confer Melam lib. III. c. 1, de eadem re satis perverse disputantem. Denique ante *την παραλιαν* excidisse videtur *ταυτην*, i. e. hanc Lusitaniae oram. Coraius contra Mauritaniae oram exprimit, legendo: *την παραλιαν την κατα την Μαυρουσιαν*; admodum perverse, quum illius orae natura huc nihil pertineat. Agitur potius de Lusitaniae ora, qua carere locus nequit. Coraius itaque in expiscanda menda aberravit.

132. *Μουνδας*, — Vulgo in omnibus *Μουλιαδας*, sine dubio corrupte. Ptolemaeo II, 5. fluvius dicitur *Μουδας*, Plinio IV, 35 (22), Mundas vel Munda. Hic: ab Durio, ait, Tagus CC. M. P. interveniente Munda. Igitur admodum probabile dudum visum est Casaubono, Strabonem quoque scripsisse *Μουνδας*. Hodiernum etiam fluvii nomen convenit; Mondego est, Conimbricam alluens. Paulo post pro *Νουμαντιαν* lego *Νομαντιαν*. Infra ad p. 162 Cas. c. 4. §. 12, causam afferam.

133. *οἱ δε Βελιωνα καλουσι* — Sermo est de fluvio *της Ληθης* sive Oblivionis, quem nonnulli, Strabo ait, vocant Belionem. Hoc nomen, quod nusquam alias reperitur, unde et quale sit quaeritur. Sine dubio vocem latinam Oblivionem exprimere voluit Auctor, sed, ut erat lingvae Latinae male peritus, male expressit. In voce *Βελιωνα* haud obscure Latinum no-

men Oblivionem Graecis elementis expressum, scilicet Οβλιουιωνα, latere, dudum censuerunt Xylander et Casaubonus, nec non Merula Cosmogr. II. 2, c. 7, quibus accedit Schweighaus. ad Appian. Iber. c. 72. p. 297. Nihil itaque mutandum, praesertim cum omnes veteres libri constanter ita legant; et ne Casaubono assentio quidem, qui, si quid mutandum foret, Οβλιουιωνος pro ωνα mallet, ut conveniat nomen praecedenti της λήθης. Sed haec convenientia hic vix locum habet; nam Oblivionis fluvium satis lepide diffinxit Strabo noster in Belionem. Ceterum, unde hic fluvius multum fabulosus, quem Lusitanorum lingua Limaeam vocabat vel etiam Aeminium (Plin.), Graecorum et Romanorum ore ὁ της λήθης (pro quo Appian. l. c. perverse habet ὁ λήθης, casu recto) et Oblivionis appellatus sit, Strabo paulo infra narrat, §. 4. Cf. Liv. Epit. LV. Appian. l. c. Mela, III. c. 1. Plin. IV. 35, 22. Flor. II. c. 17. Sil. Ital. I. 235 et XVI, 477. Plutarch. Quaest. Rom. p. 272. c. 34. Ptolemaeo II. c. 6. Limius s. Limias dicitur; nunc Lima.

134. Και ὁ μετ' αυτον Βαινις (οἱ δε Μινιον φασι) — Βαινις nomen, quod nullus geographorum agnoscit, absque dubio corruptum erat. Casaubonus, quocum sentit Schweigh. l. paulo ante excitato, transpositis duabus literulis in Ναιβιν mutandum, et Νηβιν Ptolemaei II. 6, et Melae Naebin intelligendum esse censet, meque habet plane adsentientem Nam sub Strabonis Baeni ceterorum geographorum Nebin latere certissimum est; quare dudum Anton. Maginus in Ptolemaei editione latina Nebin fluvium Strabonis Baenin esse adnotavit. Similiter Hermol. Barbarus ad Melae l. c.: Strabonis Naebis, ait; etsi est inversa dictio apud eum Baenis, pro Naebis."

Sed ecce! nova hinc oritur difficultas; Naebis Strabonianus cum Minio idem est; apud Ptolemaeum vero et Melam, III. 1, a Minio expresse distinguitur. Ille enim sic habet: Nebis, Limius (s. Limias) Minius; hic: Naebis, Minius, Limia. (Mela, ut obiter moneam, Lethaeum fluvium s. Limiam Minio

perperam postponit). Igitur Casaubonus suspicari aliquem posse existimat, pro *Μινιου* apud Strabonem ex Appiano reponendum esse *Νιμιου* vel *Νιμιν*. Sic enim nominare Appianum illum fluvium, qui Lethaeo succedat, Iber. c. 72: *περασας δε ὁ Βρουτος και τονδε (Ληθην) και μεχρι Νιμιος ἑτερον ποταμον προελθων*, cet. At vero, ut Schweighauseri verba mea faciam, sic haberemus fluvium Ptolemaeo et Melae, qui diligenter illarum orarum fluvios notarunt, incognitum, quem eundem tamen Strabo *πολυ μεγιστον* perhibuisset *των εν Λυσιτανιᾳ ποταμων*. Quare in tanta scriptorum inconstantia nihil affirmari posse professus tandem est Casaubonus. Porro tota, quam Strabo exhibet, fluminis descriptio magnum aliquem nobilemque amnem aperte prodit, qualis Minius est, neutiquam vero parvulum quendam fluvium admittit, nemini notum. Quare equidem Casaubonum hic nihil vidisse affirmo. Tantum abest, ut Strabo ex Appiano corrigendus sit, ut vice versa potius Appianus ex Strabone. Nam Minium expeditionis Bruti terminum fuisse, Strabo diserte tradit; quod idem narrat ipse Appianus c. 73, qui, postquam res a Bruto ad Minium gestas exposuit, Romam eum rediisse affirmat. Sine dubio itaque Appianus c. 72, *Μινιου* scripsit, aut, si non scripsit (nam in nominibus exprimendis negligenter agere solet), scribere debuit; qua in re adsentientes habeo Freinshem. in Suppl. Liv. LV. 32, et Schweigh. ad Appian l. c.

Attamen, ne quid celem, verba illa Appiani: *μεχρι Νιμιος*, proxime ad *Νηβιος* vel *Ναιβιος* accedere Schweighausero videntur; ut Appianus adeo videri possit aliquem ex illis auctoribus secutus, qui proxime post Oblivionis fluvium non Minium sed Nebin s. Naebin, posuerint; tuncque pro *Βαιτις* etiam c. 71, *Ναιβις* scripsisse Appianum suspicatur. Concedo quidem, haec ita componi posse, si necesse esset; sed tamen ab Appiano veram horum fluviorum seriem, qua alter alterum excipiunt, servari malim, quam contra; praesertim, quum vel sic quoque c. 71. Baetis, qui sane isto loco incommodus est, cum Naebi commutari possit. Quodsi itaque Appiano Minium;

ut par est, reddiderimus, tum Strabo et Appianus inter se, et insuper uterque cum Ptolemaeo et Mela conciliati sunt, nisi quod Naebin cum Minio in Strabone eundem habemus, quum tamen duo fuerint. In hoc igitur Strabo cum Posidonio suo, quem hic sequi videtur, aperte erravit. Neque id mirum, in extremis illis parumque cognitis terris. Erratum iam olim et in inclytis orae illius amnibus, ac praesertim in fluminis eius, qui Oblivionis dicitur, situ et a Minio distantia, diserte Plinius monuit IV. 22. 35. Alia quidem via Straboni opem ferre Schweighauserus conatur, verba eius: οἱ δε Μινιον φασι, ad Plinii illam sententiam interpretanda esse suspicans: ut non tam dicat, Naebin eundem fluvium ab aliis Minium nominari, quam dissensionem potius scriptorum indicet, quorum alii post Lethaeum fluvium Naebin ponant (qui ab aliis rectius ante illum ponitur) alii continuo Minium. Sed vereor, ut interpretatione hacce insolita et longius ducta multum lucremur. Naebis enim, quem Strabo ex sua sententia primario loco posuit, quippe qui Lethaeum continuo sequatur, ita describitur, quasi magnus esset ac nobilis amnis (quod contra est); et ita quidem, ut ipse Minius describendus erat. Minio, inquam, descriptio convenit, huncque Strabonem intelligere, dubitari nequit. Igitur Naebin cum Minio aut pro eodem habuit, aut certe utrumque in describendo confudit, ideoque errore eximi nequit. Atqui prius illud ipsius verba aperte indicant; ergo in eo errasse fateamur, quod Naebin cum Minio eundem fecit; quem errorem viris eximiis in descriptione longinquarum regionum versantibus facile condonabimus. Ceterum Naebin, qui in ceteris Geographis continuo Durium duosque alios minores accipit, a Strabone nostro, quia cum Minio eundem facit, falso loco nunc poni, nemo non videt; quem, si Strabo a Minio distinxisset, loco iusto ante Limaeam s. Oblivionis, puto, haberemus. Scilicet ita scribendum Straboni erat: Ειτ᾽ αλλοι ποταμοι· και μετα τουτους ὁ Ναιβις, και μετ᾽ αυτον ὁ της ληθης — — — ῥει· και ὁ μετ᾽ αυτον Μινιος (οἱ δ᾽ουκ ορθως Ναιβιν φασι) etc. Iam Tibi, Lector doctissime, quo commodius perplexam

hanc de Lusitaniae fluminibus materiam, cuius ambages mihi plus negotii, quam quo forte digna erat, excitaverunt, uno contuitu perspicias, schema proponam, quod horum fluminum seriem ex Strabonis, Ptolemaei, Appiani, Melae et Plinii delineatione, adiectis quoque hodiernis nominibus, exhibebit. (Vacua etiam Marciano Heracl. p. 74, est Ουακουα ποταμος).

Strabo.	*Ptolemaeus.*	*Appian.*	*Mela.*	*Plinius.*	*Hodie.*
Tagus	Tagus	Tagus	Tagus	Tagus	Tejo
Mundas	Mondas s. a.		Monda	Munda	Mondego
Vacua	Vacus			Vacca	Vouga
Durius	Durius	Durius	Durius	Durius	Duero
Aliifluvii, sc. Avus Celandus	Avus	Avo Celandus			
Limaeas s. Nebis l. e. h. s fl.		Naebis	Naebis		Cavado
Naebis	Limias	Limias s. Lethes	Minius	Limia s. Limaeas	Lima
Minius	Minius	Minius	Limia	Minius	Minno.

135. Εκ Κανταβρων και αυτον ρειν — Minium quoque ex Cantabris delabi ait. At hoc praeterquam de Minio de nullo alio amne hucusque dixit. Nam quod infra p. 159 Cas. c. 4. §. 7, de Ibero amne idem legitur, huc nil attinet. Ergo voculam και delevi, quae ex versu praecedente huc irrepsisse videtur; nisi quis suspicari maluerit, Strabonem alios fluvios, de quibus Posidonius idem adnotaverat, praeteriisse, idque ipsum oblitum esse. Sed adeo oscitanter Strabonem scripsisse, quis credat? Coraium tamen illud praeteriit. Ceterum in eo cum Posidonio Auctor errat quod Minium ex Cantabris derivat, quum is potius ex Asturibus, si quidem sic flumen pro Minio habuit (Mannert. I. p. 355), vel re vera ex Gallaecis veniat. Cf. obs. 134.

§. 4.

136. Του Λιμαιου ποταμου — Ita recte iam expressit Siebenkees. pro vulgato Λημιου, monente Ca-

saubono, qui in scriptis suis λιμεον esse testatur. Etiam omnes codd. Italicos exhibere Λιμαιου, Siebenkeesius affirmat. Est sane Limaeas fluvius s. Lethaeus, ut supra.

137. Ληθης αγορευθηναι. — Imo αναγορευθηναι, ut bene correxit Coraius. Nam simplex αγορευειν est loqui, verba facere, non vero nominare et appellare. Legi etiam προσαγορευθηναι bene potest, ut paulo infra est προσαγορευουσιν.

138. Ὧν — λιμενας προσαγορευουσιν. — Codices Casaub. cum Reg. Paris. Strofiano apud Sieb. exhibent: ὃν —— λιμενα. Sic etiam vetus Interpres vertit: quem nautae Artabrorum portum appellant. Accedit Ptolemaei II, 6. et Agathemeri I, 4, auctoritas, in quibus legitur Αρταβρων λιμην. Similiter Mela III, 1: secundum Arotrebarum portum; si lectio certa, de qua cf. Voss. Observat. p. 788, qui aliam lectionem (Ebora portum) praeferens Artabrorum portum nimis ad boream removet, quum tamen citra Nerium promontorium positus ab hoc ipso et ostiis Tamarae fluvii nunc Tambra dicti, includatur. Conprehendebat ille Artabrorum sinus συχνας πολεις, ut Strabo ait, i. e. multa oppida cum portubus, quare vulgata lectio (excepto pronomine ὧν, quod, quum referatur ad κολπον, aperte mutandum est in ὃν) defendi quidem et commode verti potest: quem sinum nautae Artabrorum portus nominant. Attamen Auctor ipse litem dirimere poterit, dum infra pag. 175 Cas. c. 5. §. 14, iterum habet: απο του των Αρταβρων λιμενος. Itaque hic quoque non λιμενας, sed λιμενα scripsisse putandus est. Praeterea oppida ista a nautis Artabrorum portus (λιμενας) nominari, vix memoratu dignum fuisset, quum re vera essent; magis dignum, si totus sinus cum omnibus oppidis suis Artabrorum portus numero singulari appellabatur, quod sane erat paulo insolentius. Paulo post pro εθνη τριακοντα, quae vulgo leguntur, legenda sunt πεντηκοντα, et primo quidem ex Mss. Casauboni, deinde ex Plinio, qui lib. IV. 35, 32. XLV habet, et ex Ptol. II, 5, qui adeo LVII. civitates enumerat. Quare Strabonem quoque quinquaginta scripsisse cre-

dibile est. Neque aliter Coraius dedit, quem et in superioribus mecum sentientem habeo.

139. στειραν ειναι — οικεισθαι δ' ὑπο — Libri veteres apud Cas. et Venetus apud Sieb. habent στειραν ουσαν, et omittunt δε post οικεισθαι. Minus recte. Ex Strabonis sententia agri non tam natura steriles sunt, quam negligentia et rapinis incolarum. Aperte igitur praeferenda est vulgata: στειραν ειναι, ut sit praedicatum; nam ἡ χωρα αμελουμενη est orationis subiectum; στειραν ουσαν foret appositio, quasi natura agri steriles essent.

§. 5.

140. Παραξιφις προς τουτοις, — Imo προς τουτῳ sc. ασπιδιῳ. Nam plura armorum genera nondum memoravit. — Paulo infra (§. 6.) pro τον γενομενον sc. οινον Cor. habet τον γινομενον, quod parum interest. Ego malim τον γεννωμενον.

§. 6.

141. Αντι προσαντιλαμβανομεναι — Mira prorsus dictio, et quam non alibi reperias! In lexicis sesquipedale illud verbum frustra quaesivi, nisi quatenus ex hoc loco receptum erat. In Codd. Casaub. est: αντιπροσαντι λ. voce aeque insolita, imo corrupta. Coraius mutavit in αντιπροσλαμβανομεναι, quod cum vulgato eiusdem farinae est. Interim ferendum illud quidem, quum sensus bene sit perspicuus; neutiquam vero ferendum est αντι, quod et redundat et κακωφονιᾳ offendit aures; neque tulit Coraius. Describitur quaedam figura in saltando, quum duo saltantes adversa facie manibus vicissim prehensis aut stadium saltationis decurrunt aut gyros agunt. Igitur αντι absolute dictum esset pro: αντ' αλληλων στασαι i. e. e regione stantes, adversa facie. Sed idem satis exprimit ipsum illud προσαντιλαμβανομεναι. Contra vero, quum de Bastetanorum mulieribus singularem huncce et insolitum morem Strabo referat, quod promiscue (αναμιξ) salta-

verint, dicendum quoque erat, ni fallor, quinam illi fuerint, quibus admixtae saltaverint. Nimirum viris admixtae saltaverunt contra morem Lusitanorum, quorum viri cum viris, mulieres cum solis mulieribus saltare solebant. Viros itaque, quorum mentionem h. l. quisque desiderabit, sub intolerabili isto et inani αντι latere, equidem vix dubito, ideoque pro αντι levi mutatione ανδρι vel ανδρασι legendum propono. Similiter lib. IV. p. 203 Cas. init. c. 6. §. 3: αναμιξ τοις Ἑλλησι. Id saltem exprimendum erit in versione, et revera expressit etiam Xylander, qui habet: mulieres viris admixtae. Palmerium quoque ita iudicasse video, qui inde manasse hoc genus satyricae saltationis affirmat, quam Hispani nunc vocant Sarabanda.

142. Κηρινοις δε αγγειοις χρωνται, — Ita in omnibus et scriptis et editis est; nusquam enim lectionis varietatem indicatam inveni. Cereis itaque vasis Lusitani utebantur? De cereis vasis usui quotidiano destinatis ecquis umquam legit aut audivit? Non satis mirari queo morem hunc prorsus unicum. Admodum pretiosa fuerint necesse est et rara; unde enim tanta cerae copia, ex qua vasa culinaria et quaecumque alia usus domesticus poscit, conficerentur? Sed equidem illa non desidero, quippe usui male commoda. Certe cibos et liquores non infundam Atqui etiam Lusitanos munditiei admodum studiosos fuisse, paulo supra (§. 5.) legitur. Praeterea ne igni nimis accederent cavendum, ideoque saltem ad coquendum fictilibus opus erat. Id tamen boni habuere, quod fracta et disiecta denuo fundendo facile refici possent; quare coquis, ancillis et mulierculis nostris, quae in disiiciendis et confundendis figlinis egregiam dexteritatem ostendunt, satis bene convenirent. Nihilo minus, ut iocos mittamus, quum de Gallis idem significare Diodorum apud Casaubonum legerem, et libri scripti istam lectionem constanter exhibere videantur, aliquamdiu et ipse haesitavi. Inspecto autem Diodoro, Casaubonum egregie falli deprehendebam. Diodorus lib. V. c. 26. p. 304. (211) ed. Rhod.: Και τα κηρια πλυνοντες, ait, τῳ τουτων αποπλυματι χρωνται, i. e. favos

aqua diluunt, et hac aqua mulsa utuntur; quem locum Casaubonus ita adfert: και τα κηρινα πλυνοντε etc., sive ipsius sive editionis, qua utebatur, errore. Aperte enim de κηριοις de favis aqua dilutis sermo fit; quare etiam Wessel. Casauboni errorem improbat. Sed neque librorum scriptorum constantia impediet, quo minus τα κηρινα h. l. abire iubeamus. Omnes enim Straboris codices, quotquot supersunt, ex uno eodemque antiquo exemplo originem duxisse, iam saepius monuimus ex Siebenkees. praefat. p. 26. Quodsi itaque vetustissimum illud exemplar τα κηρινα legebat, vix aliter fieri potuit, quam ut per omnes ad illud exaratos libros hoc mendum propagaretur, cuius rei innumera in Strabone exempla habemus Porro, Athenaeus Deipn. IV. c. 13. p. 152, ex Posidonio Celtarum vasa recensens, cerea profecto, quae prae ceteris memorata digna erant, et Deipnosophistis largam disputandi materiem praebere poterant, non silentio praeteriisset, quum fictilia nominet, quae eadem Strabo Celtis loco nostro tribuere putandus est. Denique ipse Strabo, si quidem re vera Lusitani et Celtae cereis vasis utebantur, nec hoc loco tamquam rem in vulgus notam obiter ea memorasset, nec libro quarto, ubi de Celtis agit, plane omisisset; at ibi de illis ne verbum quidem. His rationibus sat idoneis ductus communem codicum lectionem κηρινοις damnandam esse existimo, et coniecturae Parisiensis editoris Breguignii in Siebenkeesii notulis receptae eo lubentius accedo, quo facilius haec cuivis lectori ipsa se offert et a vulgatae elementis parum discedit. Κεραμεοις, inquam, legendum esse, neminem latebit. Sic infra p. 175 Cas. c. 5. §. 14, de Cassiteridum civibus: κεραμον, i. e. κεραμεα αγγεια, διαλλαττονται προς τους εμπορους.

Si quis nihilo minus vasa cerea omni pertinacia vindicet, quae confici ubique posse non nego, is non tam vasa quotidiano omnis generis usui destinata intelligat, quam vasa rariora potius et artificiose facta raritatis et splendoris causa apposita, ut fere nos quoque vascula e terra porcellana facta vel imagines cereas ostentare solemus. Verumtamen, id Auctor si

voluisset, mentem suam distinctius expressurum fuisse existimo, cuius verba, nude ut sunt posita, vix aliud quicquam admittere videntur, nisi vascula quotidiana. Ceterum Coraius mecum facit. Praeterea moneo sequentem versum: Αἱ δε γυναικες — — διαγουσιν, huic de vasis agenti praeponendum esse, iubente rerum serie, nisi Strabonem admodum confuse scripsisse maluerimus.

143. οἱ δε λιαν εν βάθει — Illud δε, quum neque transitum neque oppositionem faciat, nisi si ante excidisse aliqua statuas, valde incommodum est; quare salvo sensu eiiciendum, aut saltem οἱ γε scribendum. Eiecit Coraius.

144. Εξω των ὀρῶν η των ποταμων καταλευουσι. — Iterum ecce lectionem, in qua omnes libri veteres conspirant, quum nusquam varietatem lectionis deprehendamus. Nihilo minus Strabo ita scribere vix potuit. Nam patricidas extra montes et flumina (extra montium confinia vel ultra flumina eiectos, ut reddit Interpr. prior) lapidatos esse, quis commode intelligat? Imo εξω των ὅρων η των πολεων i. e. pagorum finibus et urbibus educti lapidibus obruebantur, quippe ne digni quidem, qui in patria terra aut urbe necarentur. Quare Casauboni illam emendationem cum Siebenkeesio et Coraio in textum recipere non dubitavi.

145. Ὥσπερ οἱ Αιγυπτιοι τοπαλαιον, — Hunc aegrotos in triviis et foris publice deponendi morem de ipsis Iberis repetit Sozomen. hist. ecces. II. 7; de Babyloniis et Assyriis tradunt Herodot. I. c. 197 et Strabo XVI. p. 746 Cas. c. 1. §. 20, ad quem locum Casaubonus adnotat, etiam nostro loco legendum esse: ὥσπερ οἱ Ασσυριοι. Cave, viro magno adsentias. Isthunc enim morem praeter Babylonios et Assyrios aliis quoque gentibus usitatum fuisse, quidni credamus? Imo etiam nunc plures Orientis gentes ita facere constat. Aegyptii itaque, Babyloniis et Assyriis omni vita et moribus simillimi, quidni ita fecerint? Accedit, quod a Strabone diserte et sine ulla quidem lectionis varietate illud narretur. Quin et Iudaei testes

sunt, qui hunc morem, sine dubio in Aegypto adscitum, semper, dum respublica stabat, tenuerunt. Ex eo vero, quod Strabo alio loco de Assyriis idem tradit, neutiquam sequitur, eum hic quoque ipsorum Assyriorum exemplum afferre debuisse, quum et Aegyptiorum posset. Quare ne turbemus vulgatam.

146. Sed paulo infra pro *τα μονοξυλα* lege *τοις μονοξυλοις*, sc. *χρωνται*. Nisi malis cum Casaubono: *εχουσι και τα μονοξυλα* Coraius: *νυνι δε και τα μονοξυλα σπανια*; quod improbo. Non enim id Auctor vult, omnino navigia rara esse, sed tantummodo *τα μονοξυλα*, i. e. lintres ex solo ligno conpactos et contignatos, quos c. 2. §. 3, *πηκτους* nominavit. Neque facile dixeris, unde irrepserint illa *ἅ δη*; facilis vero erat aberratio in terminatione. Praeterea evidentem oppositionem navigiorum coriaceorum et ligneorum Coraius sustulit, et *τα μονοξυλα* eo sensu accepit, quo supra l. c. dicta sunt; parum recte, si quid video. Saltem legerem *τα μονοξυλα ηδη σπανια*.

§. 7.

147. *Πλευταυρους και Βαρδυητας και Αλλοτριγας* — In his ex Strabonis opinione, geographo parum illa quidem digna, barbare sonantibus vixque calamo exprimendis nominibus gentium parum cognitarum, consensus aliorum scriptorum eo minus exspectabitur, quo magis illa aut ab ipso Auctore aut a librariis deformata et corrupta nunc legimus. Quare Pleutaurorum (ut hos primo expediamus) vel Pleutaurorum (ut habent codd. Casaub. et Venet.) nomen neque Cellarius neque Mannertus agnoscit, quippe nulli, quantum sciam, veterum geographorum memoratum. Est sane corruptissimum. Nihilo minus verum gentis, quam Strabo indicare voluit, nomen expiscatum me esse arbitror. De Iberiae borealis populis parum cognitis quum sermo fiat, nominis quantumvis deformati similitudine satis adhuc agnoscenda ductus Pelendones, gentem Celtibericam ceteris eiusdem cognationis minus amplam et nobilem sub Pleutauris istis

latere suspicor. Acune rem tetigerim, peritiores viderint. Sed interim haud videtur inane somnium. Scilicet gentium Celtibericarum, quas quatuor aut quinque fuisse Strabo ait, quarum duas tantum, Arevacos et Lusones, nominatim indicat pag. 162 et 165 Cas. c. 4. §. 13 et 20, una fuere Pelendones, quos Ptolemaeus II. c. 6, inter Berones (et ipsos Celtibericae originis) et Arevacos collocat, et cum tribus quidem civitatibus. Plin. III. 4, 3: Eodem (in conventum Cluniensem) Pelendones Celtiberorum, quatuor populis. Idem IV. 34, 20: Durius amnis, ortus in Pelendonibus. (Numantia, quam quartam Pelendonum civitatem Plinius facit, non erat Pelendonum, sed Arevacorum, qua de re cf. Mannert. I. p. 399). In Gruteri Inscript. ant. Tom. I. p. 111. nr. 5, inscriptio est: Loci genio Pellendones Arevacon. Hi itaque Pelendones incolebant tractum Hispaniae borealis angustum circa fontes Durii, a parte boreali Berones et Vascones, a meridionali Arevacos attingentes. Hos igitur Pelendones Strabo, ore satis barbarico ipse loquens, Pleutauros dixisse videtur. Sed non minus, ... aliter, deformatum legitur nomen Pelendonum in Livii fragmento Lib. XCI, ubi vocantur Cerindones; quo nomine eosdem Pelendones indicari, dudum suspicatus est Giovenazzius p. 68, fragmenti istius doctissimus editor, meque habet plane assentientem.

Ad Bardyetas transeamus, quos infra p. 192 Cas. c. 4. §. 12, Bardyitas appellat, simulque sua aetate Bardyalos vocari addit (οὓς οἱ νυν Βαρδυαλους καλουσιν). Sed neque Bardyetae sive Bardyitae, neque Bardyali usquam fuere. At Vardulos Ptolemaei, Plinii et Melae novimus, ab oceano angusto tractu inter Autrigones Vasconesque usque ad Iberum porrectos, ubi attingebant Berones. Hos exprimere Strabonem voluisse, nullum est dubium, sed sive ipsius, sive auctoris, quem sequebatur, culpa nomen deformavit. Quare dudum Casaubono visum est, infra l. c. legendum esse Βαρδουλους, et recte quidem, quum isto loco nomen Strabonis aevo satis usurpatum non tam a Strabone, quam a librario corruptum esse videatur. At hoc loco Bardyetae et infra Bardyitae retinendi erunt;

nam ipse Auctor barbaras voces barbare exprimit, qua in re a se ipso discessisse saepius deprehenditur. Ceterum de Vardulis confer Plin. III. 4, 3 et IV 34, 20, qui manu nimis larga quatuordecim illis civitates tribuit, de quo vid. Mannert. I. p. 374. Mela III. 1, satis indefinite Vardulos iuxta Cantabros collocat.

Restant Allotriges. Hi, licet et ipsi nomine satis quidem deformato lateant, facile tamen deteguntur. Sunt Autrigones Plinii III. 4. 3: in Autrigonum decem civitatibus. Etiam Ptolemaeo Αὐτρίγονες vocantur II. 6. Melae quoque III. 1, ubi nomine olim corrupto legebatur Aurinos. Recte etiam Florus IV. 12, habet Autrigones, pro quo in nonnullis editis Aurigones vel adeo Auriganos legi suspicor ex Cellar. I. p. 108 et Mannert. I. p. 372. Occurrunt etiam in Orosio, VI. 21: Cantabri Vaccaeos et Autrigonas populabantur.

Haec dicenda erant de nominibus istis non tam per se expressu difficilibus, quam a Graeculis potius, ex quibus Auctor noster hauriebat, deformatis. Minime igitur corrigenda sunt, sed Straboni, qui re vera ita scripsit, religiose in aeternum servanda. Nam suum cuique. Ceterum alii quoque de barbaris remotiorum terrarum nominibus inanes eiusmodi querelas iaciunt; ut Plin. III. 3. 1, de ipsa Hispania: digna memoratu, aut Latiali sermone dictu facilia. Idem c. 4. 3: Lucensis conventus populorum ignobilium et barbarae appellationis. Similiter ipse Strabo, XVII. p. 777 Cas. Arabica aliquot nomina adscribere veretur δια την ατοπιαν της εκφορας Cf. lib. XIII, p. 607. c. 1. §. 52. VII, p. 321. c. 6. §. 1. Athen. Deipn. VIII. c. 73. Mela III. 1. extr. Cantabrorum aliquot populi amnesque sunt, sed quorum nomina nostro ore concipi nequeant. Idem c. 3: Montes Germaniae, quorum nomina vix est eloqui ore Romano. Lucian. Necyom. c. 9. Id. Penth. cap. 3. Ovid. Her. 13, 54. Cf. etiam Sprengel Gesch. der geograph. Entd. p. 52.

148. Τοιαυτης δ' ουσης και απο των τοπων λυπροτητος ενιοις — i. e. Quum talis vel tanta sit apud nonnullos locorum et montium sterilitas. Qualis igitur vel quanta? Voce τοιαυτης non parum me offendi fateor,

quum in antecedentibus de locorum et montium sterilitate non sermo fuerit, nisi quis, quae longe supra p. 154 Cas. c. 3. §. 4, obiter Auctor dixerat: *Λυπραν γαρ νεμομενοι*, huc traxerit. Multo minus ad ea, quae initio libri p. 137. de borealis Iberiae sterilitate disputata sunt, nos ablegari patimur. Sensit Xylander quoque hanc incommoditatem, nec minus Penzelius; uterque enim vocem *τοιαυτης* in versione non exprimit.

Incommodis ante memoratis accedere apud nonnullos insuper aliud, ait Geographus, nimirum locorum et montium sterilitatem, qua augeatur incolarum inhumanitas et feritas. At accedendi notionem, quam interpretes recte exprimunt, in contextu desideramus. Itaque pro *τοιαυτης* suspicor scriptum fuisse *προς ταυτα* vel *επι τουτοις*. Id saltem sensus postulat.

Aliud praeterea hisce verbis inest vitium, quod bene deprehendit quidem, sed male correxit Casaubonus. Scilicet *ἡ απο των τοπων λυπροτης* dici nequit. Sterilitas locorum Graece quoque est *ἡ των τοπων λυπροτης*. Quare Casaubonus margini adscripsit: *και απο της των* etc. Sed haec ~~emendatio~~ mendum non tollit, imo novum adfert, quum iam desit subiectum ad verba *τοιαυτης* δ' *ουσης* referendum; quod ipse sensisse videtur, dum addit: nisi desunt verba quaedam ante *και*. Melius Coraius; *και της απο των τοπων*; sed vel sic mendum manet.

mutatio

δε

Omittendam itaque putavi voculam *απο*, quae sensum turbat, qui planus erit, si locum ita legeris: *Επι τουτοις δ' ουσης και της των τοπων λυπροτητος ενιοις* etc. i. e. Praeterea quum accedat nonnullis locorum et montium sterilitas. Interim vulgatum *Τοιαυτης* servavi, explicans: quum aeque magna sit.

149. *Οἱτε Κωνιακοι, και οἱ προς ταις πηγαις του Ιβηρος οικουντες, πλην Τουϊσοι* — Haec communis omnium librorum lectio nonnulla habet, de quibus paulo subtilius erit inquirendum. Primum Coniaci iidem sunt, qui infra p. 162 Cas. c. 4. §. 12, Coniscorum nomen gerunt, et Cantabrorum gentibus, quarum Ptolemaeus II. 6. octo, Plinius III. 4. 3. septem,

lib. IV. 34. 20, novem meminit, adnumerandi. Βηρώνες, Strabo l. c. ait, Καντάβροις ὅμοροι τοῖς Κονίσκοις. Atqui nec Coniacos nec Coniscos aliunde novimus; Concanos autem, Cantabrorum populum, memoria tenemus cum ex Horat. Carm. III. 4, 34: et laetum equino sanguine Concanum; tum ex Silio III. 360; Cornipedis fusa satiaris, Concane, vena. Ptolemaeus quoque inter Cantabrorum civitates mediterraneas habet Concana. Itaque hos ipsos Concanos, Scythica feritate veteribus infames, a Strabone utrobique indicari, ecquis dubitet? Delrium quoque ad Senecae Hippolyt. 110, et Merulam in Cosmogr. Part. II. 2. 11, ita sentire, in addendis edit. Almelov. p. 1320 lubenter legi. Casaubonus, etsi de Concanis nil certi affirmet, Coniacos tamen et Coniscos eosdem esse arbitratur. Iam vero, utrum ab ipso Geographo in scribendo Concanorum nomine peccatum sit, an potius a librariis, id nunc dirimi nequit. Prius illud si quis posuerit, retineat utrobique, ut nominis deformatio saltem eadem sit, Coniacos, quippe genuino nomini propius accedentes; alterum hoc si maluerit (et ego quidem malim, quum Concanorum nomen Strabonis aetate satis notum fuisse videatur), h. l. scribendum erit: οἵ τε Κόγκανοι, et infra l. c.: τοῖς Κογκανοῖς. Casaubonus autem quid sibi velit, dum Polybii (lib. X. c. 7, ubi pro ἐντὸς Ἡρ. στηλῶν legendum est ἐκτὸς) Conios huc revocat, equidem non capio. Hi enim Conii sive Cunei, ut Appiano audiunt in Iber. c. 57. trans Anam incoluerunt Lusitaniae meridionalis illum tractum, quem a Romanis Cuneum dici praeter alios ipse Strabo supra docuit p. 137 Cas. c. 1, §. 2. Conii igitur, de quibus bene exposuit Mannert. I. pag. 331, Concanis Cantabrisque sunt alienissimi. Idem vero Mannertus p 371 de Strabonis Cantabris Coniscis dubium movet, hoc et Ptolemaei Concanos eosdem esse vix statui posse affirmans, quia Conisci versus meridiem Beronum finitimi Straboni l. c. dicantur. Sed, quaeso, quis Coniscos vel potius Concanos ad extremum Oceani litus removeri iubet? An forte antiquiores tabulae geographicae? Hae quidem Concanorum nomen extremo litori tantum adlinere solent; sed

an recte id faciant, dubito. Nam Ptolemaeus Concana urbem mediterraneis civitatibus diserte adnumerat, numerisque latitudinis adiectis confirmat. Unde Concanorum populum a mari, et fortasse ne a mari quidem, usque ad vel adeo trans Iberi fontes porrigi, ibique urbe Iuliobriga, quae Concanorum ultima meridiem versus erat, Berones Celtibericos attingere colligo. Quare, quin Strabonis Coniaci et Conisci iidem sint, qui ceterorum Concani, nullus dubito.

Transeamus ad Tuisos. En, iterum nomen prorsus inauditum! Nec minus inauditum, atque adeo ridiculum, quod Strabonem narrantem audimus, hunc unum in totis Hispaniis popellum Caesari Augusto invictum restitisse. Quasi aliquis narraret, omnia a Leone animalia subacta esse, excepto sorice! Neque ullum huius rei in historiis reperitur vestigium, quae contra domitis tandem Cantabris universam Hispaniam Augusto subiectam fuisse testantur. Quid? quod ipse se refellit Strabo noster. Infra p. 158 Cas. c 4. §. 5, Romanos omnes Hispaniarum populos in potestatem suam subinde redegisse diserte affirmat. Idem lib. VI. p. 287 Cas. 312 Sieb. την Ιβηριαν, ait, ουκ επαυσαντο ὑπαγομενοι τοις ὁπλοις, ἑως ἁπασαν κατεστρεψαντο. — — ὑστατους δε Κανταβρους, οὓς κατελυσεν ὁ Σεβαστος Καισαρ. Igitur ista verba πλην Τουϊσοι triplici de causa cuivis merito suspecta, imo vix ferenda videbuntur. Visa sunt etiam Casaubono; sed is, nimia lenitate usus, nec totum vulnus curavit, nec satis subtiliter rem disquisivit. Nam neque Λουσωνες neque Τιτθοι. in quos incidit, huc pertinent, quorum illi Tagi fontibus, hi vero Orospedae monti adiacebant. Vid. Strab. III. p. 162 Cas. cap. 4. §. 13. Appian. Iber. cap. 42 et 44. Schweigh. Adnotatt ad l. c. pag. 254. Obs. crit. ad Strab. l. c. sub v Διτταvοι Sed nec ipsum haec latuerunt, quare praestare ait επεχειν Minime gentium επεχειν; quin ulterius circumspiciendum. Idem tamen, ut ridiculam istam, quam notavimus, et ipsi Geographo repugnantem narratiunculam de invictis Tuisis tolleret, particulam πλην egregie et optime mutavit in πολιν Sive populum h. l. habeamus, sive urbem, perinde est. Multi enim Iberiae populi adeo pusilli erant,

ut una tantum vel pauculis civitatibus constarent, quare veteribus geographis, inprimis Plinio, modo populi et gentes, modo civitates et oppida dicuntur.

Iam vero, quid fiet de Tuisis? Πολιν Τουϊσι proponit Casaubonus. Haec lenissima quidem medela, sed quae nihil proficiat. Quodnam enim illud est oppidum? Si usquam fuit, qui fit, ut nulli geographorum, ne Ptolemaeo quidem, octo Cantabrorum civitates enumeranti, memoratum sit? Adeo ignobile fuerit necesse est, ut ne dignum quidem esset, quod memoraretur. Nihilo minus soli Tuisi Romanis invicti fuere. Ecquis haec capiat? Quin eradicandi sunt Τουϊσοι radicitus, quos numquam, puto, habuit Iberia. Sub Tuisorum nomine popellum quendam Cantabricum latere, cum ex eo patet, quod iunguntur Concanis, tum, quod circa fontes Iberi amnis habitare dicuntur. Hi enim in media Cantabrorum terra fuere. Strab. III. p. 159 Cas. c. 4. §. 7: Ῥει δε ὁ Ιβηρ απο Καντaβρων εχων τας αρχας. Plin. III. 4. 3: Iberus amnis ortus in Cantabris, haud procul oppido Iuliobriga. Haec igitur Iuliobrigensium civitas fontes Iberi accoluit. Cum Plinio plenissime concordat Ptolemaeus II. 6, qui Cantabrorum civitatem Ιουλιοβριγα sub eadem coeli parte locat, qua Iberi fontes. Id numeri certissime comprobant, secundum quos Iberi fontes habent 12°, 30′ longitudinis, latitudinis 44°; civitas Iuliobriga 12°, 10′ longitudinis, latitudinis pariter 44°. Unde civitatem istam tribus fere milliariis geographicis ab Iberi fontibus versus occasum dissitam fuisse apparet. Corruptos itaque Strabonis Tuisos in eodem fere loco collocandos esse, quem Iuliobriga urbs (hodie Fuente d' Ivero) obtinuit, luce clarius est. Haud ignobilem civitatem fuisse oportet. Nam in Cantabricis septem populis, Plinius ait cap. citato, Iuliobrica sola memoratur. Praeterea Romanis colonis amplificata et illustrior facta est, ut ex antiqua inscriptione apud Gruterum p. 354. nr. 4, colligo: C. Annio. L. F. Quir. Flavo Iuliobrigensi, ex gente Cantabrorum. Quae quum ita sint, quis dubitaverit, quin sub Strabonis Tuisis Iuliobrigenses lateant? Nomina quidem satis discrepare fateor. Huius vero rei Strabo

ipse, aut eius librarii rationem reddant culpamque luant! Fac, ipsum Auctorem initio nomen false scripsisse, deinde vero librarios magis aberrasse, et partem posteriorem (nam pars anterior adhuc originis vestigia refert) male exaratam eodem casu intercidisse, quo Lancobrigae nomen §. 1, intercidit; profecto tandem ex Iuliobriga Tuisi prodire potuerunt. Quodsi itaque depravatum illud: *πλην Τουϊσοι* in: *πολιν Ιουλιοβριγα* refingere audeam, bonum opus, ut aiunt, me patrare arbitror. Iam enim Geographos egregie concinentes, Strabonem vero nec sibi ipsi nec historiarum consensui repugnantem, neque denique ridicule loquentem habebimus. Qui vero coniectura mea reiecta vulgatam lectionem pertinaciter defenderit, is praeter Iuliobrigam civitatem Tuisorum aliam, nemini nec auditam nec traditam, Iberi fontes accoluisse dicat necesse est; quod an recte fiat, peritiores iudicent. Probabilior utique ea Tuisorum conservandorum foret ratio, quae Tuisos vetustum fuisse nomen Ibericum sive Cantabricum statueret; dein vero urbem domitam et Romanis auctam colonis, nomine isto deposito novum in honorem Augusti nomen Iuliobriga adscivisse, quae res de sat multis Iberiae urbibus nota est; Strabonem vero in scriptore, quo utebatur, vetustum nomen invenisse et in suum opus transtulisse. Praeterea monebo, aliam Iuliobriga memorari a Plinio, IV. 34. 20. seu potius Victoriam Iuliobrigensium, quae fuit portus in litore Cantabrico, a fontibus Iberi distans 40000 passus; de quo oppido, quod nihil huc facit, vid. Mannert. I. p. 370.

150. *τριων ταγματων στρατιωτικων* — *Ταγμα* quum per se legionem militum significet, *στρατιωτικων* otiose redundat. Deinde scabra oratio est *ταγματων το αποδειχθεν* pro *ταγματα τα αποδειχθεντα*. Mendam Coraius bene vidit, qui dedit: *ταγματων στρατιωτικων*, quod haud cunctanter recepi. Similiter Strab. lib. II. p. 116 Cas. *της εις το στρατιωτικον δαπανης*. Rem ipsam Tacitus confirmat in Annal. IV. 5: Hispaniae, recens perdomitae, tribus habebantur legionibus.

CAPUT QUARTUM.

§. 1.

151. Μεσογαια πασα, το μεν πλατος ανωμαλος, το δε μηκος μικρῳ πλειωνων — Sic veteres libri apud Casaubonum, et rectius quidem, verborum iuncturam si spectes; refertur enim ανωμαλος ad μεσογ̂ ια Vulgo ανωμαλον et πλειον, quod et ipsum ferri potest, modo post πασα plene interpungas. Sensus idem est, at prior lectio concinnior. Quae continuo sequuntur: τα δε της παραλιας sc. μερη dicta sunt pro ἡ παραλια vel potius της παραλιας μηκος; nam de sola longitudine huius orae loquitur Geographus. Sed concinnior evadet oratio, si, quod Strabonem scripsisse suspicor, legerimus: το δε της παραλιας sc. μηκος.

152. Τα δε της παραλιας επι πλειονι και β͵ (i. e. δισχιλιοις) ειρηται σταδιοις. — Haec verba, partim mendosa, partim a Casaubono pessime accepta, satis diu me illusisse fateor. Veteres editi, ut princeps Aldina et Bas. Hopperi, habebant επι πλειονι και μ΄, ex nonnullis codicibus (sc. Venet. Reg. Stroz. apud Sieb.) i e. quadraginta stadia, quae nihili sunt, nec digna, quae audiantur. Sed facile erat Xylandro, ea, quae sequuntur, computanti, reponere: και β͵, i. e. duo millia, quae emendatio codd. Casaubonianis diserte confirmatur, et merito exinde in textum recepta est. Hi enim codices ita habent: επι πλειον η δισχιλιους σταδιους ειρηται, quae lectio, etsi numerum rectum habet, eoque ipso lepide imposuit Casaubono: longe tamen ab eo discedit, quod rerum series aperte postulat. Videamus igitur, quo ea nos ducat. Loquitur

Geographus de longitudine istius partis Iberiae, quae adhuc describenda restat, nimirum totius orae a Columnis ad Pyrenam, et interioris terrae, quae huic orae obtenditur. Της μεσογαιας longitudinem quater mille stadia paulo superare dicit, iamque orae longitudo ut definiatur exspectamus. Et re vera definitur illa quidem; at quomodo? Orae longitudo (nam τα της παραλιας dictum esse pro ἡ παραλια s. potius το της παραλιας μηκος, praecedenti observatione monui) esse vel supra duo millia stadiorum, i. e. duo millia stadiorum superare perhibetur. Idem sensus ex altera, quam ex codd. Casauboni attuli, lectione vel apertius prodit. Igitur omnis a Calpe ad Pyrenen ora bis mille stadia longa est? Magis ridicule nil dici potest. Imo, sex millia stadiorum longam esse, ex computatione, quam ipse deinde Strabo subiungit, luce clarius est. Sed hoc ipsum in Strabonis verbis, de quibus nunc agitur, inveniemus, modo genuinam restituere conemur lectionem. Nam et Casaubonianorum codicum lectionem, et vulgatam, quamvis ob dativum σταδιοις veritati propius accedentem, res ipsa respuit. Nimirum, ut iterum dicam, orae a Columnis ad Pyrenen longitudinem definire Strabo et vult et debet. Hanc autem non simpliciter per se, sed comparando cum mediterraneorum longitudine indicat, dum eam duobus stadiorum millibus maiorem, quam haec est, esse affirmat. Atqui ἡ μεσογαια 4000 stad. longa est; ergo sequitur, orae longitudinem esse 6000 stadiorum; quem numerum singulae huius orae partes, quae continuo recensentur ad unguem efficiunt. Iam id agitur, ut textum, cuius depravatio vel ex variante lectione satis manifesta fit, huic Strabonis sententiae adaptemus. Reliquias vero genuinae lectionis et vulgata et Casaubonianorum librorum aberratio conservavit, quibus rite collectis mutatisque particulis επι et η, quae sensum inprimis turbant, textum ita refingo: το δε της παραλιας (sc. μηκος) ετι πλειον και δισχιλιοις ειρηται σταδιοις; vel ita quoquē, licet prior ratio magis arrideat: τα δε τ. π. ετι πλειονα etc. i. e. Orae vero longitudo duobus millibus stadiorum major etiam est, quam interioris terrae, quod idem est, ac si omissa compara-

tione simpliciter dixissit: το δε της παραλιας μηκος ἑξακισχιλιων ειρηται σταδιων. — Casaubonus autem, fortuito numerorum a re plane alienorum consensu et convenientia deceptus atque obcoecatus, mirum quantum in hoc loco explicando aberravit. Codicum suorum lectioni nimium confisus, Xylandrum rectam interpretationis viam ingressum longe falli affirmat, se ipsum potius multo crassius falli nescius. Nimirum confundit longitudinem orae a Calpe ad Pyrenen cum totius Hispaniae longitudine, quam et ipsam sex millia stadiorum efficere initio libri p. 137 Strabo docuit; deinde Baeticae longitudinem, quae itidem duo millia stad. complet, invitam huc trahit. Nam, quaeso, ubinam vel minimum in h. l. Baeticae vestigium? Haec igitur 2000 stadia cum 4000 stadiis της μεσογαιας, quae adhuc describenda restet, efficere 6000 stadia longitudinis totius Hispaniae, ad quam, licet ab h. l. prorsus alienam, Strabonem hic respicere autumat. Tali tantoque errore ipse implicitus locum vel per se librariorum culpa obscurum obscuriorem reddidit, ita ut sensu paene careat, vel sensum a re ipsa alienissimum, quin ridiculum praebeat. Ridiculum inquam; nam orae a Calpe ad Pyrenen longitudinem duo millia stadiorum efficere, quod libri veteres exprimunt, vere ridiculum; nec minus profecto ridiculum, quod ex mira Casauboni computatione efficitur, totam Hispaniarum longitudinem ex istis quater mille stadiis, quae Straboni describenda restent, (i. e. ex terra interiore, fere a Merobriga oppido ad Pyrenam usque) et ex Baeticae bis mille stadiis effici. Sed haec hactenus. Ceterum Coraius vulgatum τα επι πλειον servat, quod quomodo defendat, nescio.

Id tantummodo monere liceat, Strabonem numeris suis veritatem optime attingere, Polybium vero suis longe maioribus a vero longe aberrare, nisi fortasse minori stadio usus fuerit; quapropter ille, qui sua ex Eratosthene sumsit, hunc ipse merito vituperat lib. II. p. 107 Cas. sq. Polybii locus est lib. III. c. 39. Hic vel solum Tagum 8000 stadia, totam vero Iberiam 9000 stadia longam esse affirmaverat, et ex Romanorum mensuris quidem. Eratosthenes vero Py-

thea auctore usus esse videtur, cuius 6000 stadiā 150 milliaria aequant geographica, quae ipsa totius Hispaniae longitudo est. Haec, quae subtilius persequi non huius loci est, propterea adieci, ne quis Strabonem ex Polybio corrigere velit. Cf. Eratosthenis fragm. et Seidel, p. 126.

153. Οικεισθαι — απο Βαστητανων — Ita omnes editi, quibus utor, Bas. utraque Cas. Alm. Sieb. Sed terram οικεισθαι απο τινος pro ὑπο τινος, Graece dici non memini. Nil nisi sphalma typographicum esse videtur, ex edit. principe per omnes propagatum; quare tandem delendum putavi. Similiter peccatum supra erat p. 139 Cas. c. 1. §. 6, ubi vide Obs. nr. 22. Paulo infra λοιπῶν nove dictum pro λοιπὸν vel λοιποῦ, si lectio certa. Exempla non inveni, quare legi mallem λοιπόν; sic. lib. IV. p. 193 Cas. c. 3. §. 3: φερεται το λοιπον, et c. 4. §. 3: ποιησαι το λοιπον, et V, p. 211. c. 1. §. 3: και λοιπον δια μεσων.

154. Ταυτην δ' εχειν Αιλητανους. — Aeletani nusquam fuerunt. Neque lectio constat; nam codd. Casaub. nec non Reg. Stroz. Venetus habent Ελητανους; nec hoc quidem verum nomen est. Rectius ipse Strabo p. 163 Cas. c. 4. §. 14, Sidetanos, Σιδητανους appellat. Forte etiam p. 162 Cas. §. 12, pro Διττανων reponendum esse Σιδητανων, infra exponam. Scilicet verum gentis nomen fuit Edetani (Ἠδητανοι Ptol II. 6) sive Hedetani, seu denique, adspiratione, ut fit, in sibilum versa (qua de re cf. infra c. 5. §. 5, ad Exitanorum urbem,) Sedetani, ut appellari solent ab historiarum scriptoribus, e. gr. Liv. XXXIV. c. 20. XXVIII. c. 24, et saepius; nec non Appian. Iber. c. 77, ubi est Σηδητανια; Silio quoque III. 371: Sedetana cohors. Hi itaque Edetani s. Sedetani, gens satis ampla et nobilis, magnum orae tractum incolebant inde a Valentia ad Iberi usque ostia, interiora versus trans Caesaraugustam, quae eorum caput erat. Occasum versus mons Idubeda separabat eos a Celtiberis; sensu vero latiori secundum historicos, Silium l. c. et ipsum Strabonem h. l. et infra l. c. ulterius ad occasum usque ad Orospedam montem et Sucronem fluvium porrecti Contestanos quoque, Straboni

nusquam memoratos, comprehendebant, sicut etiam Ilercaones circa Iberi ostia Plinius III. 4. 3, arctius continet: Regio Edetania, ad Celtiberos recedens; paulo post: Caesaraugusta — — regionis Edetaniae. In inscriptione apud Gruter. p. 481. nr. 1; legitur: Cereali Editano. Quae quum ita sint, pro falsis Aeletanis verum populi nomen, quod Straboni non incognitum fuisse ex ipsa vulgata et codicum variante lectione, parum a vero aberrante, cum Mannerto I. p. 427 probabiliter colligo, Auctori restituere, Ἡδητανους reponens non dubitavi. Notemus autem, quos Auctor h. l. Edetanos vocat, eosdem eum infra §. 12 et 14, more historicorum, quos ipsos forte sequebatur, Sidetanos vocare. Nam utrumque nomen idem valet. Interim Coraius Aeletanos propagavit. Ceterum cave, fidem habeas Xylandro et Penzelio, qui de Laeetanis s. Leetanis Ptol. II. 6 et Strab. c. 4. §. 8, cogitantes Λαιητανους vel λεητανους loco nostro ingerere voluerunt. Hi Laeetani s. Leetani, magis versus orientem habitantes, quatuor Indicetum s. Indigetum gentibus, quas Strabo continuo adfert, adnumerandi videntur, nec quicquam huc faciunt.

155. Χιλιοι και ἑξακοσιοι — Imo χιλιους κ. ἑξακοσιους; nam oratio obliqua et praecedit, et sequitur; pergit enim: οικειν δε. Unde igitur tam subito casus rectus? Ita male scribere Strabo non solet. Forte notis expressus numerus erat, quas postea aliquis antiqui codicis possessor vel librarius, male cautus integra verba adhibens in Casu erravit.

§. 2.

156. Την παραλιαν την απο της μεσογαιας — Articulum την ante απο delevi, quippe neutiquam ferendum. Editores hoc mendum tam absurdum tam diu tolerasse miror. Casaubonus tamen uncis inclusit; omisit tandem Cor.

157. Εμποριον δ' εστιν εν τοις εν τῃ περαιᾳ σαιμασι. — Haec verba viros doctos valde exercuerunt, necdum forte genuina Strabonis lectio explorata est, nec,

etiamsi sit, facile diiudicaveris, quaenam illa sit inter plures a viris doctis prolatas. Codicum ope, ut qui omnes pro corrupto vocabulo σαιμασι conspirant, destitutis nihil supererat, nisi ut coniecturis locum si non plene sanare, probabili tamen ratione contextui adaptare et explicare studerent. Tres viri, et doctrina et ingenio aeque insignes, Isaac. Vossius, Casaubonus et Tyrwhittus, monstrum illud in mansuetiorem formam convertere conati sunt, quanquam diversissimas ingressi vias. Horum igitur tentamina iam erunt examinanda et diiudicanda, quo facilior Lectori fiat electio; nam quae ego forte addidero, ea nil nisi emendationum quasi variationes, forte etiem depravationes erunt.

Primum codd. Bemb. Stroz. Vat. A. apud Sieb. voculas εν τοις omittunt. Bene quidem omittunt εν, quod ex praecedenti εστιν exortum, certe, si Vossii coniecturam exceperis, abesse debet; sed minus bene τοις, quod omni studio retinendum est, nam τοις σαιμασι dativus est, quem dicunt, commodi. Simillime infra p. 158. Cas. c. 4. §. 6, loco plane gemino de Nova Carthagine: τοις εξω πασιν. Sed cardo rei versatur in corrupta voce σαιμασι, in quo, uti diximus, omnes libri et scripti et editi conspirant, nisi quod Interpres prior illud aut non legisse aut, quod veri similius, quum non intelligeret omisisse videtur. Is enim vertit absque sensu: in ulteriore terra emporium est. Iam itaque virorum doctorum recenseamus tentamina.

Primum audiamus Vossium ad Melam, II. c. 6. in observatt. p. 750 (p. 194, edit Hag.). Is vocula εν retenta emendat: εν τοις εν τη περαια σκαμμασι· Σκαμμα fossam vel locum quemcumque effossum significat. Εμποριον hic est, ut ipsius verba apponam, non ipsa Malaca, sed locus mercatus (ubi merces convehuntur et servantur; nobis ein Stapelplatz, Waarenlager). Ait itaque Strabo, emporium Malacitanorum non fuisse in ipsa urbe, sed in opposita insula, in qua portum et navium receptacula sibi effoderant. Insulae huius meminit Festus Avienus, ora marit. *v.* 428 sqq.: Illic (Malachae) insula antistat urbem; — — in insula stagnum quoque tutusque portus: oppidum Maenace super. Hodie insula illa, Vossius pergit, fluctibus obruta est, vestigia

tamen supersunt molium in profundo iactarum. Ingeniosum quidem viri doctissimi commentum est; sed plura obstant, quo minus amplectar. Primum de ista insula non satis constat; solius enim Avieni testimonio non multum equidem tribuo, quippe qui, cum nonnullis aliis, vel ipsam Malacham cum Maenace oppido confundat, v. 426: Maenace priore quae vocata est saeculo. Sed fac, vere ibi fuisse insulam, Malacitanos tamen portum merciumque horrea in insula, freto ab urbe diremta, condidisse, quum ipsa Malaca vel hodie quoque spatioso eoque commodissimo et tutissimo portu gaudeat, vix cuiquam fiet probabile. Tum Geographus, antequam de portu et mercium receptaculis diceret, ante omnia docere nos debebat, Malacam urbem esse mercatoriam. Denique vero, quod vel solum Vossianum commentum destruit, si portum in insula urbi obiecta significare vellet, non ita negligenter et ambigue dicendum erat *εν τῃ περαιᾳ*, sed definitius: *εν τῃ αντικειμενῃ νησῳ*, vel: *εν τῃ προς αυτην νησῳ* s. *νησιδιῳ*, ut alias loquitur de tali re.

Magis itaque arridet Tyrwhitti coniectura, reponentis: *εν τῃ περαιᾳ Νομασι*. Massaesylii, inquit, qui etiam Nomades vocabantur, teste ipso Strabone lib. XVII. p. 827 Cas. oram Africae incolebant, quae in Malacam, licet paulo orientalior, spectare dicitur. — Massaesylios et Massylios ob vitam pastoritiam sive nomadicam Nomades appellatos esse, disertius Geographus tradit l. XVII. p. 833 Cas, c. 3. §. 15: *οἱ Μασσαισυλιοι γαρ καλουνται Νομαδες.* Conf. lib. II. p. 131 Cas. 349 Sieb. ubi *των Νομαδων*, ait, *τους γνωριμωτατους, τους μεν Μασσυλιεις* (ita legendum pro *Μασσαλιεις*), *τους δε Μασαισυλιους προσαγορευουσιν.* Sed haec res notissima, licet de eo inter viros doctos disceptatum sit, utrum Numidae et Numidia Graecae originis nomina sint; nec ne. Negat Vossius ad Mel. I. c. 7. p. 581. Et re vera barbaram gentem et terram ab initio Graeca voce esse appellatam, nequaquam mihi persuadeo. Plerosque tamen et Graecos et Romanos scriptores opinioni isti addictos fuisse, satis liquet; vid. ex. gr. Plin. V. 2. 3. Priscian. Perieg. 176, aliique plures. Quem errorem cum

similitudo fortuita nominum Numidarum et Νομάδων, tum ipsa veterum Numidarum vita pastoritia s. nomadica peperit, ita ut Numidae et nomades saepe permutentur, et interdum, utri intelligendi sint, incertum videatur; cuius rei exemplum infra occurret c. 5. §. 6, in Metagoniis, ubi cf. obs. crit. nr. 253. Itaque etiam Strabo Numidas, seu Massaesylios et Massylios, appellat Νομάδας. Quae quum ita sint, egregie profecto, si quidem Strabo h. l. Malacam emporium oppositae Numidiae incolis esse indicare volebat, Tyrwhitti emendatio convenire videtur. Proprie quidem Massaesylii nominandi erant; sed pro his, qui Numidiae partem tenebant, non minus recte generaliori appellatione Numidae, ideoque ex communi Graecorum commutatione, Nomades locum habere poterant. Quid? quod vel ipsos Massaesylios, ut meam quoque hariolationem adiungam, ex depravata lectione facili negotio dicere, si necesse esset, possemus. Scilicet transpositis prioribus syllabis et mutatis in fine paucis literulis pro σαιμακσι και habebimus Μασαισυλοις. Cum simplici sibilo saepius hoc nomen venire, notum est. Ipse Noster ita scripsit lib. II. l. c. Dionys. Perieg. 187, et alii. Etiam Masaesyli sive Massaesyli pro Massaesyliis Straboni vocantur lib. XVII. p. 828 et 829 Cas.

Attamen si quis Numidarum et Massaesyliorum parum recte hoc loco mentionem fieri contenderit, propterea quod vitam pastoritiam exercentes negotiando parum operae dedisse putandi sint, huic equidem contradicere ausim. Sane quidem gentes nomades, etsi inter sese mercium commutatione utantur, cum peregrinis populis per maria mercaturas facere ipsi non assolent, ideoque forte Phoenicum et Poenorum potius in Libyco litore coloniae praecipue intelligendae forent, quae vel ipsae ex corrupta voce elici possunt, modo (nam vox ista vere est πολυτλητος) mutemus σαιμασι in Φοινιξι. Verumtamen non ad unguem haec omnia resecanda esse arbitror. Nam Numidae, etiamsi non ipsi mercandi causa Hispaniam peterent, merces tamen varii generis, quibus indigerent, ut sales, salsamenta, lintea, pannos etc. sibi importari patiebantur sive ab ipsis Hispanis sive a Poenorum coloniis. Quare utrum Nu-

midae an Massaesylii, an Maurusii Poenive h. l. nominentur, nihil interest, modo habeamus oppositi litoris populum, cui Malaca emporium dicatur. Malacam vero, quippe Poenorum veterem coloniam, quam vel τῳ σχηματι Φοινικικην Strabo appellat, ab initio cum Poenis Libycis ceterisque orae Libycae nationibus aeque ac Novam Carthaginem inter omnes maritimas Hispaniae civitates plurima exercuisse negotia, satis constat. Quare Tyrwhitti emendationem loco nostro egregie convenire, summaque laude dignam esse, ecquis ibit inficias?

Iam vero restat, ut Casauboni coniecturam proferamus. Is simili de Carthagine Nova loco, quem Auctor infra habet III. p. 158 Cas. c. 4. §. 6, motus: τοις τ᾽ εν τῃ περαια και τοις εν τῃ μεσογαιᾳ, vel και τοις μεσογαιοις proponit. Est sane locus simillimus; nam Carthago Nova maximum emporium ibi dicitur, ubi et mediterranei maritimas, et maritimi sive peregrini mediterraneas merces mercantur. Atqui haec optime quadrant et in Malacam, quippe urbem in eodem fere litore, quo Carthago fuit, sitam, pariterque celebre emporium. Praeterea haec emendatio commendatur quadam simplicitate, et e corrupto verbo facile enucleatur, modo, si magni viri emendationem emendare licet, vulgatae vestigiis pressius inhaerentes legamus: τοις τ᾽ εν τῃ περαιᾳ και μεσογαιᾳ· ταριχειας δε etc. ita, ut ex verbis και μεσογαιᾳ illud σαιμασι και factum esse credamus. Verumtamen, ne quid celem, utriusque loci similitudo maximam partem ex emendatione demum oritur; dein ex eo, quod infra de Nova Carthagine Auctor dicet, non sequitur, idem etiam de Malaca, quanquam dici poterat, dicendum fuisse; tum vero ad verba τοις εν τῃ περαιᾳ nomen populi alicuius transmarini id ipsum est, quod quisque vel maxime exspectet. His aliisque forte rationibus motus Casaubonus se ipse sustinet. Coraii denique, quam nunc lego, emendatio est: τοις εν τῃ περαιᾳ συμπασι Est mera imitatio eorum, quae infra §. 6, loco simili leguntur de Carthagine: τοις εξω πασιν. quae hic parum satisfaciunt. Unde enim sequitur, eadem hic dici de Malaca, quae infra dicentur de Carthagine? Omnibus itaque accu-

rate examinatis atque perpensis, in certamine, quod viri docti in emendando hoc loco inierunt, Anglo, quem tamen, Casaubonus parum aberat, ut vinceret, palmam deferre non dubitavi. Ceterum singulare hic locus et iucundum exhibet exemplum, quomodo ex uno fere verbo corrupto lectiones sat multae nonnumquam elici possint, quae, sensu quidem satis diversae, originis tamen vestigia egregie servent, et loci insuper desideriis bene respondeant. Sic Proteo similes Saemades formas se vertunt in omnes; sed ecquis capiet vinclis?

158. Φοινίκης τῷ σχήματι — Ita omnes editi, nec codices quicquam variare videntur; at sine sensu. Nam ἡ Φοινίκη, Phoenicum terra s. Phoenicia, nihil huc adtinet. Absque dubio veram lectionem reperit Casaubonus, legens: Φοινικική τε τῷ σχήματι; quam lectionem, ab ipso Strabone XVII. p. 826, init. et 829 Cas. ubi Φοινικικαὶ πόλεις leguntur, et XVI. p 766, ubi sunt ἱερὰ τοῖς Φοινικικοῖς ὅμοια (ubi tamen cod. Mosc. Φοινικοῖς, Medic. 3. Φοινικίοις), satis confirmatam, Siebenkeesius recipere voluisse videtur, nisi quod novo errore expressit Φοινικιῇ τε τ σχ. Saltem Φοινικικῷ. Ceterum, quum nomen gentile non solum sit Φοινικικὸς, sed etiam Φοινικὸς et Φοινίκιος (Steph. Byz. v Φοινίκη; cf. Steph. Thes. p. 180 et obs. cr. ad c. 5. §. 6), minori impendio scribi quoque potest Φοινικὴ τε vel Φοινικία τε, imo etiam Φοίνισσα τε. ut νῆες Φοίνισσαι apud Herodot. VIII. 118 et 121, Φοίνισσαι νῆες in Thucyd. I. 116, et Φοινίσσων νεῶν in Plutarchi Pericle, cap. 27. Denique post μᾶλλον comma opus est, ne membra duo in unum confundantur, ut bene monuit Casaubonus. Nam duo sunt, quae h. l. opponuntur. Ut Maenaca remotior a Calpe est (aliter, at falsissime, Strabonem intellexit Mannert. I. p. 309 in Maenaca; recte habet Fest. Avien. Or mar. v. 430: oppidum Maenace super sc. Malacam: ut hodiernum Al-Munecar illi respondere cum Palmerio arbitrer), ita Malaca propius accedit; utque illius rudera Graecanicae urbis vestigia servant, ita huius Phoenissam refert species.

159. Αυδηρα — Verum oppidi nomen Mss. Reg. Medic. et Reg. apud Sieb. forte etiam nonnulli apud Casaubonum, qui negligenter: alii Αβδηρα, ait, servaverunt. Sed et ipse Strabo infra §. 6, recte scripsit Αβδηρα, quare h. l. antiquus librarius aberravit. Eandem aberrationem in codd. Appollodori, II. c. 5, 10 inveniri, Heynius affirmat. Mela quoque, Plinius et Steph. Byzantinus oppidum Abdera vocant, Ptol. II. 4 Abdara. Cf. Gronov. in Var. Geogr. p. 170. Tzschuck. ad Strab. XII. c. 3. §. 20. Nunc Adra sonat, iuxta fluvium cognominem sita.

§. 3.

p.157 160. Εποικησαι την Ιβηριαν — Ita recte dedit Sieb. ex codd. Medic. Reg. pro vulgato εποικισαι, quod Casaubonum non offenderat. Εποικιζειν et εποικεειν pariter differunt, ac αποικιζειν et αποικεειν, de quibus verbis supra dictum est ad p. 150 Cas. c. 2. §. 13. Scilicet εποικιζειν, qua voce Thesaurus ditari poterit, vi transitiva significat coloniam traducere, colonos novos veteribus loci incolis admiscere. Appian. Iber. c. 56: οἷς φασιν Αννιβαν εποικισαι τινας εκ Λιβυης. Similiter ἡ εποικισις est colonia loco cuidam aliunde addita, e. gr. Appian. Civil. V. c. 137. Contra vero εποικειν de εποικοις, i. e. colonis dicitur, qui habitatum aliquo concesserunt, s. terram aliquam occupaverunt. Sic Straboni Messenii dicuntur εποικησαι την Ιβηριαν, minime vero εποικισαι — Initio sectionis post των τοπων Coraius recte inseruit τουτων, quod ob similitudinem vocis praecedentis librarius omiserat. Interdum quidem hoc pronomen tacite intelligitur, quae ratio h. l. durior videtur. Paulo infra non lego οὗτος δε φησιν, ut omnes libri habent, sed οὗτος δη φ. i. e. is igitur narrat.

161. Και οὗτος φησι, και αλλος. — Et alius? quisnam? Si praeter Asclepiadem unus tantum istius opinionis auctor exstabat, cur non nominat? Scilicet, quia ignorabat. Sed hoc non verisimile; praeterea minus definite dicendum erat αλλος τις, ut paulo infra: Κρατης ὁ Μαλλωτης και αλλοι τινες. Quanquam, ubi

de pluribus sermo est, τινες aeque bene omittitur. Praeferenda itaque est cod. Veneti lectio: και αλλοι. Nam si unum tantum indicare Strabo voluisset, sine dubio nominasset, vel causam certe addidisset, cur non nominaverit.

162. Ωψικελλαν πολιν, ὁ Ωψικελλα κτισμα λεγουσι — De Opsicella oppido merum figmentum est, ut de Odyssea ceterisque eiusdem farinae. Nullus veterum scriptorum, quantum ego quidem sciam, vel oppidi vel conditoris nomen agnoscit, neque in recentioribus, quos evolvi, ullum reperio vestigium. Nam si quis Edetanorum oppidum Obsicerdam sive Ossigerdenses (Ptol. II, 6. Plin. III. 4. 3), vel Ocelenses sive Ocellum Lusitaniae (Plin. IV. 35. 22. Ptol. II. 5), vel Vaccaeorum oppidum Albocellam (Ptolem. II. 6), vel etiam Ocilin et Ocilen Appiani (Iber. c. 47 et 57), vel denique Oicelin (Ptol. II. 6), Hispaniae meridionalis utramque, huc trahere voluerit, nae is, vereor, ne nominibus istis, similitudine quadam abutens, vim intulerit illuseritve. Nihilo minus omnes veteres libri in Opsicella nomine conveniunt; nisi quod Vat. A et B corrupte exhibent ὁ και Λακτισμα; Reg. Stroz. Λακτισμα, e more temulentorum librariorum. Siebenkeesius suspicatur: Ωκελλαν et Ωκελλου; sed quum Ocellae nomen non minus ignotum et obscurum sit, quam Obsicellae, quid inde lucremur, nescio. Ceterum ad verba Ωψικελλαν πολιν supplendum: γενεσθαι φασιν, quod durum est; quare, ut oratio concinnior fiat, incommodo pronomine ὁ eiecto, unum membrum feci: Ωψικελλαν πολιν Ωψικελλου κτισμα λεγουσιν. Idem fecit Coraius; sed pro Ωψικελλου dedit Ωκελλο; quod displicet, si quidem et oppidi et conditoris nomen idem fuisse putandum est.

163. των Γαδειρητων — Imo Γαδειριτων. Nam Gaditani Graecis sunt aut οἱ Γαδιτανοι, et Γαδειτανοι servato Latino nomine; aut ad analogiam indigenam οἱ Γαδειριται, ut Noster habet lib. II. p. 99 Cas. Γαδειριτων ον. Alias etiam formas habet Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 451. Deinde adiectivum foemininum est

Γαδειρις, ιδος, ut πυλαι Γαδειριδες lib. III. p. 170. c. 5. §. 6 et §. 8 Correxisse etiam Coraium video.

164. Προς τοις ἑσπεριοις Αιθιοπες Λωτοφαγοι καλουνται — Quasi Aethiopes dicti fuerint Lotophagi! Nihilominus libri scripti omnes ita legere videntur, scilicet quia omnes, ut saepius monuimus, ex eodem antiquo fonte manarunt. Sed non Aethiopes dicti sunt Lotophagi, sed ii, qui occiduis Aethiopibus erant vicini. Ipsa itaque Casaubono se dabat emendatio: τοις ἑσπεριοις Αιθιοψι, quam unice veram esse Geographus ipse testatur, dum loco plane gemino lib. XVII. p. 829 Cas. c 3. §. 8, ubi de iisdem Lotophagis iisdem fere verbis loquitur: Εν δε, ait, τοις ἑσπεριοις Αιθιοψι etc. quorum terram paulo supra p. 827. §. 5 των ἑσπεριων καλουμενων Αιθιωπων χωρα etc.) descripserat: Testem quoque habemus Eustathium, qui in schol. ad Od. A., 23 hunc ipsum, in quo versamur, Strabonis locum exscripsisse videtur: τινες δε ἱστορουσι, ὁτι παρηκουσι οἱ Λωτοφαγοι μεχρι των ὑπερ Κυρηνης τοπων, αρχομενοι απο των ὑ ερ της Μαυρουσιας ἑσπεριων Αιθιοπων. Huc pertinet Plinii quoque locus lib. VI. 35, 30: promontorium, quod Hesperion Ceras vocatur, confine Africae iuxta Hesperios Aethiopas. Et paulo infra: Solitudinis ad Aethiopas Hesperios. Et Agathem. II. 5: ἱπποφαγοι Αιθιοπες, ὡν μεσημβρινωτεροι οἱ κοινως καλουμενοι Ἑσπεριοι. Alio tamen loco (II. p. 120 Cas. init) eosdem Aethiopes, eos saltem, qui Cinnamomiferam attingebant, Aetherios Strabo appellat, quos tamen, quo melius Strabo sibi constaret, Gem Pletho in Excerpt. Strabonianis, Breguignius et Tyrwhittus in Hesperios commutavere. Quod an recte fecerint, valde dubito, quum Aethiopiae varios populos ipsamque adeo Aethiopiam variis nominibus a veteribus insignitam esse notum sit. Locupletem hac in re testem habemus Plinium, VI. l. c. qui de Aethiopia: Universa gens, ait, Aetheria appellata est, deinde Atlantia, mox Aethiopia. Cui bene congruit Hesychius, qui Aethiopiam olim Αεριαν Aëriam s. Aetheriam dictam fuisse commemorat. Porro Scylax (v. Carthago) occidentales istos Aethiopes, qui ultra Soloentem promontorium mari adiacebant, ἱερους, sacros nominat. Quin ipsam Aegyptum Aëriam antiquitus

dictam fuisse, apud Gellium, N. A. XIV. 6, legimus. Quae quum ita sint, Straboni quoque Aetherios Aethiopes vindicandos esse existimo. Ceterum de Aethiopibus apud Homerum, Od. A. 23, bifariam divisis res notissima. Quamquam, quomodo hanc divisionem intellexerit poeta, inter veteres grammaticos acriter disputatum sit, (quam rem copiose tractat ipse Geogr. I. p. 30 Cas. sqq.) neque ad liquidum perduci queat, utrum ex sinu Arabico, an ex Nilo flumine, aliove potius termino minus definito divisionem fecerit; id tamen universim liquet, distinxisse poetam, si quidem locus ille re vera Homerum auctorem habet, Aethiopes occiduos ab orientalibus, sive hos in Asia meridionali, in Africa illos, sive in Africa utrosque sibi finxerit. Prior tamen ratio verisimilior videtur Schlegelio in comment. de geogr. Homerica, p. 162, cui adsentio. Quodcumque tamen placuerit, occidentales Aethiopes maris Atlantici accolae intelligendi sunt, ad poetae quidem mentem haud ita longe versus occasum remoti, postea vero, ubi terrae habitatae longitudo magis magisque innotuerat, iusto intervallo occidentem versus reducti. Huius oceani accolas Aethiopes etiam habet Virgil. Aen. IV. 480: Oceani finem iuxta, solemque cadentem, Ultimus Aethiopum locus est, ubi maximus Atlas. Iidem sunt Strabonis ἑσπεριοι Αιθιοπες, trans Mauretaniam litora oceani accolentes. In Homero tamen, qui et ipse semper fere, quoties Aethiopum mentionem facit, eos ad Oceanum collocat, Od. A, 23. E, 282. Il. A, 423. Ψ. 205) non mare occidentale s. Atlanticum nostrum, sed meridionale potius, ex poetae et seriorum adeo geographorum mente Libyae s. Aethiopiae recta fere linea praetentum intelligi debere, neminem latet.

165. Την Μηνυγγα — Scribendum est Μηνιγγα. Verum enim insulae nomen fuit Μηνιγξ. Meninx, et Straboni et aliis saepius memorata, ut Strab. II. p. 123 (ubi in Mss. Sieb. et Casaub. Μηνιξ est), XVII. p. 834. I. pag. 25. Quia pro Lotophagorum Homericorum patria habebatur, Ptolemaeus eam simpliciter vocat Lotophagitin (IV. 3) cum oppido Mininge. Polyb. I. c. 39: Λωτοφαγων νησος, ἡ καλειται Μηνιγξ. Sic-

que Plin. V. 7. Mel. II. 7. Etiam Agathemer. I. 5. habet την νησον Μηνιγγα Scylaci (v. Lotophag.) appellatur Καταριχιας; Herodoto IV. 195, Κυρανις s. Κυραυνις. Cf. Voss. ad Mel. l. c. et Steph. Byz. v. Κυραυνις.

§. 4.

166. Ουδ' ούτως αγροικως εδεξαντο — Falsissimum illud ουδε omnes fere editos obsedit, et miror, ne a Casaubono quidem loco pulsum esse, qui veram lectionem e codd. suis in lucem protulit, qui pro ουδ' habent οἱδ', quod melius dividitur in οἱ δ'. Accedunt codd. Venet. Stroz. et Interpres prior, vertens: Quidam vero. Merito itaque hanc lectionem tandem recepit Siebenkees. nec non Coraius; ille tamen novo errore dedit οἵδ' cum accentu. Vulgatum vero illud ουδε Strabonis disputationi vel maxime est contrarium. Scilicet Crates Mallotes et qui eum sectabantur, Homeri poemata severioribus disciplinis et literis accommodasse, hasque ex illis quasi hausisse dicuntur, cuius instituti Crates princeps fuit. Iam huic opponuntur alii (Aristarchum scilicet eiusque asseclas, ipsum quoque Eratosthenem, de quo lib. I p. 16 Cas. extr. tacite tangit Geographus), qui satis inscite et rustice poetam, quasi esset fossor messorve (cf. lib. II. p. 110) non modo ipsum ex omni doctrina eiicerent, sed Cratetis etiam rationem tamquam ineptissimam deriderent. Igitur vel ipsa vis oppositi flagitat illud οἱ δε, i. e. Contra vero alii etc. Ex vulgata autem lectione Crates eiusque asseclae illam rationem, quasi iam usitatam, non ita inscite et rustice secuti esse dicerentur, quod neque veritati neque sequentibus convenit. — Praeterea totius loci, qui ab initio sectionis praecedit, verum sensum nullus interpretum cepit, nisi Coraius, quem in adornanda interpunctione, ex qua totius loci recta interpretatio pendet, mecum plene concinere admodum laetor. Scilicet verbis τα γαρ ἱστορουμενα — — το πλασμα in parenthesi inclusis, duo sunt, quae non miranda esse Strabo affirmat: ουτε του ποιητου μυθογραφησαντος, — ουτ' ει τινες ετρεψαν. Singula Lector ipse videbit, conferetque meam translationem.

167. Τουτο δε αυθαδες εν δε τοις Ιβηρσι — Unum δε sufficit, quare alterum expunxi ut superfluum et insititium.

§. 5.

168. Επιθετοι γαρ και ληστρικοι — De voce επιθετοι iure dubitat Schneiderus in Lexico. Nam επιθετος, quod significat adiectus, additus, adiectivus, adscititius, supposititius, aliunde invectus, h. l. prorsus alienum est, ubi de audaci, promto et insidioso Iberorum ingenio sermo fit. Quare Schneideri coniecturae admodum probabili subscribo, suspicantis επιθετικο . i. e. promti aggressu, proclives ad invadendum, insidiosi et audaces. Similiter Xenoph. Memor. IV. 1, canes επιθετικοι τοις θηριοις, i. e. promti ad invadendas feras dicuntur. Aristot. Polit. lib. V: Επιθετικωτατον γαρ το τοιουτον ηθος περι πασας τας πραξεις, i. e. ad suscipienda facinora promtissimum. Sic ipsum nomen επιθεσις aggressionem de improviso et ex insidiis factam significat in Polybio aliisque. Insidiosum hocce et promtum aggressu ingenium Lusitanis quoque Auctor tribuit supra c. 3. §. 5. p. 154 Cas. quos ενεδρευτικους vocabat appellatione prorsus gemina. Ceterum eodem sensu vocem επιθετος h. l. usurpasse Geographum, minime mihi persuadeo, quum loquendi usum, quem dicunt, bene servare, novis vero verborum significationibus abstinere soleat. Etiam Coraius textum emendavit.

169. Μεγαλοις δ' ουκ επιβαλλομενοι — Ita in omnibus Mss. legi, testantur Casaub. et Siebenkeesius. Vulgo} ουκ επιλαβομενοι, δια το κατασκευαζεσθαι. Sed επιλαμβανεσθαι secundo iungitur casui, et significat prehendere, retinere, reprehendere, corripere, capere et opprimere. Contra επιβαλλεσθαι tertio iuntum est aggredi, suscipere, capessere, conari, moliri, ut Polyb. III. 48: αδυνατοις επιβαλλεται πραγμασιν Dionys. Hal. Ant Rom. V. 25: εγχειρηματι επιβαλομενος μεγαλῳ. Hinc μεγαλεπιβολος et μεγαλεπηβολος, qui magnas res conatur, aggreditur et feliciter gerit, ὁ μεγαλων πραγ-

ματων καταρχομενος, ut Suidas explicat. Diodor. V. c. 19 Dardanum μεγαλεπηβολον, i e. virum acrem et ad magna audacem vocat. Et ipse Strabo XV. p. 728. c. 3. §. 2, την Σουσιδα πραγματων μεγαλων επηβολον s. επιβολον dicit. Utraque vox vix quicquam differre videtur, licet aliter sentiat Wessel. ad Diod I. c. 9 et II. c. 7. Cf. d'Orvill. ad Charit. VI. c. 1. p. 509. Tzschuckius ad Strab. l. c. Similiter in Polyb. XV. 37 est μεγαλεπιβολος. Iberi itaque μεγαλοις ουκ επιβαλλονται, magna non moliri solent. Et causam adiiciens, quia magnam, ait, potentiam et societates sibi comparaverunt. Imo, non comparaverunt, ut nemo non videt, qui aliquid videre potest. Scilicet ante vel post μεγαλας excidit μη, quod bene monuit Casaubonus et dudum expressit vetus Interpres. Itaque legimus: δια το μη μεγαλας, vel cum codd. Siebenkeesii et Cor.: δια το μεγαλας μη etc.

170. Καθ' ἑκαστην, δια ταυτην την δυναστειαν — Haec verba, quae in omnibus, qui ad manum sunt, libris editis ita leguntur, quid sibi velint, vix assequor, licet neminem offenderint; nec ulli sunt intellecta. Editio Bas. Hopperi incisione ante δια omissa locum eo obscuriorem facit. Interpres vetus vertit: potentiae augendae causa. Xylander: modo hanc modo aliam ditionem bello impetentes. Neutrum in verbis illis est. Penzelius talia praeterire solet. Silet Casaubonus. Olim equidem locum corruptum esse putavi, dum verba δια ταυτην την pro interpolatis haberem, illa vero: καθ' ἑκαστην δυναστειαν explicarem: per singulas gentes sive respublicas. Sed idem ter declarari, quis ferat? Igitur nunc commodiori interpretatione locum adiuvari posse arbitror. Scilicet καθ' ἑκαστην sc. ἡμεραν sensu latiori dictum est pro ἑκαστοτε, semper, quoties cum Iberis bellarent; nisi forte malueris καθ' ἑκαστον, sigillatim, vel potius καθ' ἑκαστους sc. Ἰβηρας, cum singulis Iberorum gentibus. Porro δια ταυτην την δυναστειαν sc. Ῥωμαιων dictum est pro; ἐν ταυτῃ τῃ δυναστειᾳ, vel: ὑπο ταυτης τ. δ. ut lib. IV. c. 4. §. 5: ὑπο τοιαυτης κουφοτητος, hoc sensu: in tanta Romanorum potentia, s. quum tanta sit Romanorum potentia, ducentis tamen ad subi-

gendos Iberos annus opus fuit. Interim praepositio *δια*, num hunc usum admittat, doctiores iudicent, a quibus meliora exspecto. Num forte respicit praecedentia: *δυναστειας μειζονος*? sed quonam sensu? Fortasse ita: ob tantam nonnullorum potentiam. Interim επεχω.

Paulo infra pro vulg. *διακοσιοις ετεσι σχεδοντι* in omnibus Casaub. et Sieb. codicibus legitur *διακοσιοστω σχεδοντι ετει*, et rectius quidem. Ultima enim et absoluta Iberiae subactio non ducentos annos duravit, sed in ducentesimum fere annum incidit, ex quo cum Iberis bellari coeptum erat. Florus quidem II. 17, et Velleius II. 90, ducentos annos habent; sed hi ipsorum bellorum spatium computant. Cf. Liv. lib. XXVIII, c. 12. Simillime Strab. IV. p. 203. c. 6. §. 3: *Ογδ ηκοστον δ' ετος πολεμουντες.* Eandem rem iterum exponit lib. IV. pag. 196. c. 4. §. 2; non addito tamen temporis spatio.

§. 6.

171. *Και γαρ ερυμνοτητι* — Ita scripsit Sieb. ex quatuor codd. Italis, nec non Reg. Paris. et Interpr. priore, dudum ita suspicante Casaubono, cuius tamen codices cum ceteris vulgatam *ερυμνοτατη*, quam Sieb. damnavit praepropere, tueri videntur, ut utraque lectio pari librorum fide gaudeat. Sed et vulgata, modo suppleas *εστι*, bene ferri potest, altera vero sequentibus arctius et concinnius iungitur. Equidem cum Coraio vulgatam praefero, quia *ερυμνοτητι κεκοσμησθαι*. i. e. naturali situ munitissimo ornatum s. instructum esse, insolens dictio est. Castrum vero vel oppidum *ερυμνον* Strabo saepius habet, ut paulo infra de Dianio, et lib. IV. p. 184. c. 1. §. 9, *χωρα ερυμνη* Sic et alii. Praeterea simillimus Strabonis locus vulgatum *ερυμνοτατη* bene defendit, lib. XVII. p. 832. c. 3. §. 13: *πολις ευερκεστατη, κατεσκευασμενη καλως τοις πασι.*

172. *Και τοις των αργυρειων μεταλλοις*, —

Mira locutio est pro simplicibus *αργυρειοις*. Argenti fodinas auctor innuit, quas semper, si recte memini, vel *τα αργυρεια*, vel *τα του αργυρου* (*αργυριου*) *μεταλλα* cum ceteris vocat. Et recte quidem, quum *τα μεταλλα* fo-

dinae sint. Igitur των αργυρειων μεταλλα forent argenti fodinarum fodinae. Quare Coraium των αργυρειων mutare video in των αργυριων, i. e. argenti. Sed τα αργυρια plurali numero pro του αργυριου s. αργυρου veteribus dici, equidem cum Polluce in Onomast. IX. c. 6, addubito, ipse licet lib. III. c. 11, τα αργυρια ita usurpet, et in Aristophane et Eupolide ita se invenisse dicat, addatque simile των χρυσιων ex Cratino exemplum. Vereor tamen, ut poetarum aliqua exempla Strabonem iuvent. Praeterea τα αργυρια et χρυσια non tam de ipsis metallis, quam de vasis potius argenteis et aureis accipi possunt. Itaque τα μεταλλα h. l. ita accipi malim, ut ipsa potius metalla et aera, e fodinis eruta, intelligantur; quare vulgatam interim Coraianae emendationi praefero. Nescio tamen, an sueto more Auctor scripserit: τοις του αργυριου μεταλλοις, Supra c. 2. §. 10, has ipsas fodinas simpliciter τα αργυρεια vocavit.

173. Και εστι τουτο μειζον εμπορειον — Interpres prior: Unde hoc amplissimum est emporium. Xylander: Estque hoc magnum emporium. Similiter Penzelius. Nullus itaque interpretum comparativum gradum expressit, neque profecto, is quid sibi velit, assequor, qnum nulla sit in toto loco comparatio. Sed ut mendum apertum est, ita facilis emendatio, et ea duplex quidem. Aut enim: και ουκ εστι τουτου μειζον εμπορειον, aut, quod simplicius: και εστι τουτο μεγιστον εμπορειον, Neque aliter IV. p. 181 extr. §. 6, de Narbone: μεγιστον εμπορειον των ταυτῃ. Et hoc ipso libro III. pag. 160 Cas. §. 9: τα μεγιστα των εμποριων, de Corduba et Gadibus. Apud Coraium quoque μεγιστον invenio. Ceterum meminerint lectores locum corruptum p. 156 Cas. c. 4. §. 2, ex emendatione Casauboniana et Tyrwhittiana huic simillimum.

174. Και των περι Καρχηδονα ὑπερκειμενων τοπων —

Mss. Cas. Reg. προς καρχηδονι. Neutrum vero sequenti ὑπερκειμενων convenit. Quis enim intelligat τοπους ὑπερκειμενους περι vel προς Καρχηδονι? Magis fortasse conveniat παρα Καρχηδονα i. e. e regione Carthaginis. Sed ne hoc quidem satisfacit. Loco curatius inspecto

vitium in iterata voce ὑπερκειμενων latere didici. Haec a supino librario temere repetita, aut omnino reiicienda aut certe in κει.μενων, omisso ὑπερ, mutanda est. Scilicet fluere Sucronem dicit Geographus ex montibus contiguis dorso supra Malacam et ea loca porrecto, quae Carthagini praetenta sint; Idubedam significans, qua iungitur Orospedae. Cf. infra p. 161 Cas. §. 10. Vulgata autem lectio montes describit ultra Malacam et ultra ea loca sitos, quae circa vel ad Carthaginem transiecti sunt. Nemo, uti dixi, hoc intelliget, neque interpretes intellexere, quorum Prior satis bene quidem vertit: et ex imminentibus Carthagini locis; voculam ὑπερ non exprimens. Xylander autem et Penzelius plane omiserunt. Deleta igitur voce ὑπερκειμενων, quam Coraius male retinuit, aut saltem mutata in κειμενων, omnia bene procedunt, iamque utrum legamus περι Καρχηδονα an προς Καρχηδονι, nihil interest. Prius tamen malim ob locum cit. §. 6. p. 161 Cas. ubi pariter est περι την Μαλακαν. Omnino locus iste, huic, de quo agitur, plane geminus, emendationem meam egregie confirmat. Nam de Orospeda monte Auctor ita habet: συναπτει τῳ δρυμῳ τῳ ὑπερκειμενῳ της τε Καρχηδονιας και των περι την Μαλακαν τοπων. Hic non legitur περι την Μαλακαν ὑπερκειμενων τοπων, quod absurdum foret.

175 Paulo post sine sensu, quippe omissa comparatione, legitur: Μικρον δε διεχει της Καρχηδονος, η του Ιβηρος. Sed emendatio ultro succurrit. Nam Sucro fluvius κατα μεσον πως διαστημα profluit Iberum inter et Carthaginem, ita tamen, ut a Carthagine aliquanto propius absit, quod tabulae comprobant. Bene itaque locum ita sanavit Xylander: μικρῳ δε ἡττον διεχει etc. Eodem tamen sensu scripsisse Strabonem arbitror: μικρῳ δε διεχει της Καρχηδονος ἡττον, η του Ιβηρος. Scilicet dormitantis librarii negligentia ob simile η του antecedens ἡττον omisit. Coraius vulgatam servat, nisi quod pro η του Ιβηρος pessime cum Guarino habet και του Ιβηρος. Brevia itaque et parva, mi Coray, Tibi ista itervalla videntur?

176. Το Ἡμεροσκοπειον — εχον ἱερον, ᾧ εχρη p.159
σατο Σερτωριος. ερυμνον γαρ εστι — καλειται

δε Διανιον — εχον σιδηρεια — και νησιδια etc. — Ne Lectores diu haereant in hocce loco paululum perplexo, etsi interpretis partes agere huic libello non sit propositum, dicam tamen, quomodo sit explicandus. Praeterea unam voculam librariorum culpa amisisse videtur, quae revocanda erit. De Hemeroscopio Strabo loquitur, quod unum ex tribus Massiliensium oppidis in hac ora conditis appellat. Id esse verum, vel Graecum nomen (i. e. specula diurna) indicat. Alio vero nomine eoque vulgatiori vocabatur Dianium, quasi Graece diceres Artemision. Hemeroscopium nomen antiquius et primitivum erat; postmodo autem alterum illud, Dianium dico, a promontorio, iuxta quod oppidum situm erat, et a Dianae templo in illo exstructo in ipsum oppidum transibat, ita ut primitivum nomen obsolesceret. Nam praeter Strabonem (et h. l. et infra p. 161 Cas. §. 11) et Fest. Avienum in or. marit. 476 nusquam illud me legere memini. Contra Dianium plures habent. Ptolemaeus II. 6, Edetanis tribuit, Plin. III. 4. 3, rectius Contestanis, illis conterminis. Nam Dianium stipendiarium, ait; Sucro fluvius — Contestaniae finis. Et infra c. 11. 5: Absunt Pityusae a Dianio septingentis stadiis; totidem Dianium per continentem a Carthagine nova. „Oppidum bene munitum et iuxta promontorium cognomine situm, magis etiam templum in promontorii cacumine structum in alto navigantibus e longinguo erat conspicuum; quare Sertorio (quippe ληστρικοις σκαφεσι κατεχοντι την παραλιαν, Plut. Sert. 21), ad res terra marique gerendas egregium erat propugnaculum latibulumque, ut ipse Strabo et hic et infra l. c. docet. Hinc Cic. in Verr. V. 56: Quicumque, ait, accesserant ad Siciliam paullo pleniores, eos Sertorianos milites esse, et a Dianio fugere dicebat. Ibid. c. 59: ostendito, illos cum Sertorio fuisse, a Dianio fugientes ad Siciliam esse delatos. In Verr. I. 34: usque ab Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopen. Avieni autem tempore (seculo quarto) oppidum dirutum erat; ait enim v. 476: Hemeroscopium quoque Habitata pridem hic civitas. Nunc iam solum Vacuum incolarum languido stagno madet.“ Interiecto vero tempore

ex ruinis resurrexit; nam nunc quoque, nomen servans, Denia vocatur. Iam itaque Hemeroscopium, ut verba Vossii ad Mel II. 6. p. 747, mea faciam, esse eam urbem, quae olim quoque Dianium vocabatur, notissimum est.

Nihilo minus Mentéllius in Geogr. vet. Hisp. p. 170 vers. germ. solum templum, non vero oppidum Hemeroscopium vocare Strabonem autumat, ita ut utrumque nomen diversa significet. At virum bonum apertis oculis dormitasse existimo; quum in ipso Strabone, ad quem provocat, ipsum contrarium sit, ut quisque facile videbit. Scilicet fraudem viro magno fecerunt verba, quae deinceps sequuntur: καλειται δε Διανιον. Quodsi Dianium vocabatur, non vocari potuisse putabat Hemeroscopium. Fateor, nisi de utroque oppidi nomine certo constaret, in verbis istis scrupulum posse inveniri. Et re vera inest; qui tamen facile eximatur. Nimirum ante Διανιον excidit και, quo inserto hactenus expeditus locus est. Praeterea paulo ante non κατοπτον δε, sed κ. τε.

Sed alius scrupulus, quoniam semel interpretis partes suscepi, restat in verbis ἱερον, ᾡ εχρησατο Σερτωριος. Igitur templo Sertorius utebatur propugnaculo et arce belli? Vereor, ut illud tantae rei sufficerit, accommodatumve fuerit. Praeterea, quae deinde de Dianio praedicantur, fodinae ferrariae, insulae et lacus marinus, neutiquam de templo sed de solo oppido intelligi possunt. Igitur cave, verba ᾡ εχρησατο referas ad ἱερον, etsi grammatica ratio id voluerit; cui tamen ut aliquantum subveniatur, ante ᾡ plenius interpungendum, quo commodius referri possit ad Hemeroscopium. Nam parum accurate Auctor locutus est; dicendum potius erat: Τουτῳ δε πολιχνιῳ etc.

Paulo post pro vulg. σιδηρα aut aliquot codd. σιδηρια Casaubonus ex uno codice, cui accedit Stroz. apud Siebenkeesium, bene restituit σιδηρεια.

177. Εχουσαν εν κυκλῳ σταδιων τετρακοσιων — Ita loqui grammatica vetat. Itaque aut cum Casaubono et Coraio κυκλον, ut c. 2. §. 10, aut εν κυκλῳ σταδια τετρακοσια. Praeterea numerum ipsum valde

suspectum habeo. Tantae magnitudinis lacus marinus (i. e. lacus mari iunctus, λιμνοθαλαττα, λιμνη τη θαλαττη συῤῥέυς, Polyb. X. 10) iuxta Deniam non exstat; imo nullum tabulae exhibent. Infra Valentiam quidem talis adest, sed is huc nil attinet. Interim lacum iuxta oppidum esse credimus, ut vel ex Avieni descriptione supra allata apparet; at neutiquam tantum, ut vel decem milliaria geographica comprehendat. Quare pro τετρακοσια legendum esse censeo τετταρακοντα, ne Strabonem mentientem habeamus culpa librariorum, qui notam μ', quae in antiquis libris forte erat, mutaverunt in ύ.

178. Ολεαστρον — Ita recte ex plerisque Mss. dedit Sieb. Vulgo Ολεατρον. Conferat lector, quae de nomine supra dicta sunt ad p. 142 Cas. c. 2. §. 3. nr. 37. Paulo post recte Xylander Δερτωσσα ex ipso Strab. p. 160 Cas. §. 9. Vulg. Δερκισσα; quem tamen errorem veteres libri constanter hic retinent omnes. Ptol. II. 6 et Mel. II. 6 Dertosa, Plin. III. 4. 3. Dertusani; nunc Tortosa.

§. 7.

179. Των του Ιβηρος εκτροπων — Aperte Iberi ostia indicat Geographus, quae tamen an εκτροπαι Graecis dicantur, valde dubitarem, nisi bis ita invenissem in Ptolemaeo, qui l. II. c. 12: μεχρι της, ait, του Λινου εκτροπης, et l. II. c. 16: ἡ του Αραβωνος ποταμου εκτροπη Scilicet ἡ εκτροπη, deflexio, declinatio, deverticulum, orationis digressio, quum de aquis et fluviis adhibetur, deflexionem vel derivationem per alveos et canales significat, ut εκτροπαι ποταμου, Polyb. IX. 43. De viae declinatione ipse Strab. IV. p. 208 Cas. c. 6. §. 11: Εστι δε εκτροπη, διαβαντι τον Ῥοδανον. Amnium vero ostia sunt τα στοματα vel αἱ εκβολαι, quibus vocibus vel centies Strabo utitur, numquam autem eodem sensu τας εκτροπας me in illo legere memini. Nihil tamen viros doctos hic loci annotasse miror. Etiam Cor. vulgatam tenet. Interim et lexicographis ista της εκτροπης significatio aliena est. Vetus

Interpres vertit: inter Iberi deflexiones; recte ita quidem, sed quod non capio, nisi si ad curvaturam, qua Iberus supra ostia ad modum semicirculi deflectit (vid. tabula geogr. Hispan. auctore Streitio, Winar), respexerit. Ad hanc, dummodo cognitam habuit, Strabo certe non respexit. Non enim uno verbo tangeret veluti rem in vulgus notam, aut quasi dudum de ea exposuisset. Xylander itaque, Siebenkeesius et Penzelius ostia interpretantur; recte et hi quidem, sed quo iure, ipsi viderint. Interim ostia Iberi, nec quicquam aliud, Auctorem indicare, et ipse affirmo. Igitur parum abest, quin scribam: των του Ιβηρος εκβολων, nisi duo ista Ptol. loca me retinerent, quae seriori Graecitati hunc usum vindicare videntur.

180. Ουδε αγκυροβολιοις — ex Casauboni emendatione recepit Siebenkeesius. Vulgo in omnibus editis (nec scripti aliter habere videntur) αγκυροβολοις. Quid inter utramque vocem intersit, dicam. Secundum Hesychium Phoenices coenas, quas τοις τελωναις εκ των λιμενων, i. e. vectigalium ex portu redemtoribus apparabant, appellasse dicuntur τα αγκυροβολα; quare Phavorin. Lex. αγκυροβαλλειν per δειπνουν explicat. Etiam ipsum vectigal, quod in portu exigebatur, dicebant αγκυροβολον. Vid. Steph. Thes. et Scotti appendix. Contra vero το αγκυροβολιον, sive, ut Plutarchus de Fort. Rom. c. 2, ex Democrito habet, αγκυρηβολιον significat iactum ancorae et locum iaciendis ancoris aptum, χωρον αγκυρησιν επιβολον Arrian. Ind p. 554 ed. Blanc., synonymum fere τῳ ὑφορμῳ Strab. V. p. 232 Cas. §. 6, vel τῳ εφορμῳ III. p. 138. c. 1. §. 2, vel τῳ σαλῳ, ut apud Polyb. I. 53: αλιμενον μεν, σαλους δε εχον. Arrianus alicubi coniungit: αγκυροβολιοις και σαλοις. Iterum Strabo habet IV. p. 202 Cas. c. 6, §. 2: πλην βραχεων ὁρμων και αγκυροβολιων. Τῳ ὁρμῳ coniungitur a Plutarch. de garrul. c. 10.

§. 8.

181. Και Λαρτολαιητων — Nomen prorsus incognitum, nec ulli veterum scriptorum repetitum. Neque dubito, quin corruptum sit, etsi nihil habeo,

quod probabiliter substituam. Cosetanos enim s. Cossetanos, quos in hac ora habitasse ex Ptol. II. 6 et Plin. III. 4. 3, constat, quorumque caput ipsa Tarraco fuit, Straboni invito ingerere non audeo. Praeterquam quod nomen ipsum a vulgato prorsus abhorret, ne notum quidem Auctori fuisse videtur, qui de Tarracone loquens populi nomen reticet. Leetani vero aliorum sunt Laletani, diversi a Lacetanis s. Iaccetanis. Illi oram, hi interiora habitabant.

182. Τετρακισχιλιους διεχον — σταδιους — Macte, mi Strabo! Mentiri si quis voluerit, ita mentitor, ut saltem cachinnos excitet; alter vero, qui nihilo minus crediderit, mente est captus et ad agnatos et gentiles, ut iocularibus Varronis verbis utar, deducendus.

Ad ipsas paene Pyrenaeorum radices Emporium oppidum (hodiernum Empurias s. Ampurias) situm esse, nemo nescit. Nihilo minus libri et scripti et editi monstroso hocce mendo laborare videntur omnes, neque ullus fere interpretum, excepto Palmerio, ne verbo quidem hoc miraculum tetigit, nisi quod versio Xylandrina, quam sequitur Penzelius, stadiorum numerum ad quadringenta tacite represserit. Sed ne quadringenta quidem Strabonem scripsisse arbitror, quum totius ab Ibero ad Pyrenen orae longitudinem 1600 stadia efficere recte affirmaverit p. 156 Cas. c. 4. §. 1. Quare Palmerius τετταρακοντα scribere suadet; quin, ne τετταρακοντα nimis sit, metuit, si quidem non ad summum Pyrenaeum, sed ad primum adscensum et montis προποδας numeres. Is ergo quatuor tantum stadia (δ' σταδιους) legi vult. Attamen vir doctus, in contrarium vitium incidens, numerum nimis diminuit. Non enim ad primum adscensum, sed ad ipsa Pyrenes cacumina et confinia Galliae, ubi Pompeii Tropaea exstructa erant, ex diserta Strabonis sententia numerandum est. Atqui Emporium iuxta ostia Clodiani fluvii (Mel. II. 6. Ptol. II. 6. Albam Plin. vocat, III. 4. 3; nunc Flavian sive Fluvian dicitur; Strabo nomen ignorat, p. 160. §. 8.) situm tria vel quatuor milliaria geographica i. e. centum et viginti vel sexaginta stadia a Galliae confiniis distat. Sed tam accuratam de Emporii situ notionem habuisse

Strabo non videtur; quare non tam ad nostrarum tabularum amussim, quam ad ipsius potius probabilem opinionem numerus iste constituendus erit. Iam quum omnis ab Ibero ad Pyrenen ora 1600 stadia longa sit, quarta huius orae pars, si quidem Emporium a Pyrene 400 stadia distare scripserit; adhuc describenda restaret. Sed ecce! post Emporium nihil habet, nisi Rhodum oppidum, Emporio admodum vicinum, quo facto in describenda ora maritima subito finem facit, quasi nihil amplius restet. Ex quo vel solo apparet, Emporii a Galliae confiniis distantiam sibi non tantam esse visam, ut quartam istius orae partem sive 400 stadia efficeret. Contrahit potius hancce orae partem, ut aliquanto minor sibi videatur, quam re vera est. Praeterea paullo infra p. 160 Cas. §. 9. Emporitanorum nonnullos in ipsis Pyrenes iugis ad Pompeii Tropaea usque habitare dicit; unde Emporii distantiam admodum brevem Auctorem sibi finxisse, iterum colligo. Quae quum ita sint, quadringenta stadia, quae Coraius dedit, scribere Strabo neutiquam potuit, sed quadraginta potius, quamquam sic intervallum paullo augustius contraxerit, scripsisse putandus est. Igitur cum Palmerio *τετταρακοντα διεχον της Πυρηνης σταδιους* reposui.

183. *ἡ Ῥοδος, πολιχνιον Εμποριτων* — Omnes p.160
libri veteres et editi oppidi nomen exprimunt *Ῥοδοπη*, quem turpissimum lapsum Casaubonus, constantem aliorum geographorum appellationem sequens, satis bene sustulit, dum Rhodopen mutavit in Rhoden. Sane quidem ab aliis veteribus auctoribus constanter appellatur Rhode sive Rhoda. Primus testis sit Scymnus Chius, sive, ut alii vocant, Marcianus Heracleota; cuius versus aliquot, 201 sqq., quum nostro loco pro commentario sint, ex Voss. Observatt. ad Mel. p. 744, bene emendatos adscribam:

— — — — *Και πολεις Ἑλληνιδες,*
Ἁς Μασσαλιωτικι Φωκαεις απῳκισαν.
Πρωτη μεν Εμποριον, Ῥοδη δε δευτερα.
Ταυτην μεν ουν οἱ πριν κρατουντες εκτισαν
Ῥοδιοι· μεθ᾽ οὑς ελθοντες εις Ιβηριαν

Οἱ Μασσαλιαν κτισαντες εσχον Φωκαεις.
Κατα βαρβαρους προς Ῥοδανον εκτισαν πολεις
Αγαθην, Ῥοδανουσιαν τε, Ῥοδανος ἡν μεγας
Ποταμος παραῤῥει.

Deinde apud Ptolemaeum II. 6, legitur Ῥοδήπολις, quod rectius dirimitur in Ῥόδη πόλις, ut versiones latinae bene exprimunt. Stephanus, urbium enarrator: Ῥοδη, ait, πολις Ἰβηριας. Mela, II. 6: deinde Tichis flumen ad Rhodam. Denique Liv. XXXIV. 8: inde Rhodam ventum, et praesidium Hispanorum, quod in castello erat, vi deiectum; ab Rhoda secundo vento Emporias perventum. Meminit etiam Holsten. in Not. ad Steph. Byz. p. 274, nummi alicuius, qui ad hanc urbem pertinere videtur; in cuius altero latere rosa repraesentata visitur, in altero legitur Ῥοδηταν. i. e. Ῥοδητανοι. In alia inscriptione apud Gruterum, I. p. 404. nr. 5. dicuntur Rhodenses. Nihilo minus, ne istos auctores temere sequamur, ipse Strabo vetat. Is enim lib. XIV. p. 654. Cas. c. 2. §. 10, iterum huius oppidi, tanquam Rhodiorum coloniae, mentionem faciens: Και μεχρι Ἰβηριας, ait, επλευσαν οἱ Ῥοδιοι, κακει μεν την Ῥοδον εκτισαν, ἡν ὑστερον Μασσαλιωται κατεσχον. Ῥοδον, non Ῥοδην, hic vocari oppidum in omnibus scriptis libris, testatur Tzschuckius. Etiam Eustathius ad Dionys. Perieg. 504 ex hoc Strabonis loco Rhodum appellat, non Rhoden. Quae quum ita sint, an Straboni et nostro et altero loco ex Casauboni suspicione Ῥοδη obtrudi liceat, dubito. Videtur potius oppidi nomen et Rhodus et Rhoda fuisse, etsi hoc quidem illo fuerit usitatius. Confirmat quodammodo hanc opinionem hodiernum loci nomen; nam Rosas vel Roses, ut nunc audit, servato sibilo finali antiquum Ῥοδος bene refert. Strabo itaque, in auctore, quo utebatur, Ῥοδον inveniens, et ipse ita scripsit. Ergo bene fecerunt Coraius et Siebenkeesius, qui loco nostro ex ipso Strabone et Eustathio dederunt ἡ Ῥοδος, quod mallem a Tzschuckio quoque datum esset, qui altero loco, Casauboni emendationem praeferens την Ῥοδην expressit, quam lectionem etiam Marcam in marca Hispan. II. 18. 10, probare, nec reiicere Meursium in Rhodo I. 28, affirmat.

Ceterum hoc oppidum a Plinio, III. 5. 4, et ab Hieronymo, Plinium sequente, in prologo epist. ad Galatas, cum Rhodanusia, Galliae Narbonensis urbe ad Rhodanum olim sita, non minus aperto quam turpi errore confundi, copiose exposuit Is. Vossius in Obs. ad Mel. l. c. p. 744. Plinii verba sunt: Atque ubi Rhoda Rhodiorum fuit, unde dictus multo Galliarum fertilissimus Rhodanus amnis. Hieronymi: Oppidum Rhoda coloni Rhodiorum locaverunt; unde amnis Rhodanus nomen accepit. Confudisse autem Plinium, ut Vossii verbis utar, Rhodam cum Rhodanusia, ex eo quoque liquet, quod ut nullam Rhodae in Hispania fecerit mentionem, ita etiam nullam Rhodanusiae circa Rhodanum." „Atqui diversa fuisse oppida, tum ex aliis, qui utrumque distinguunt, ut ex Steph. Byz. et Sidonio Apollin. I. ep. 5, tum maxime patet ex Scymni Chii loco supra memorato, et ex ipso Strabone, IV. p. 180 Cas. c. 1. §. 5: την δε Ῥοην Αγαθην etc. pro quo ex certissima Vossii emendatione legendum est: Ῥοδανουσιαν και Αγαθην, nisi turpiter errasse Strabonem malimus, legentes cum Casaubono: Ῥοδην και Αγαθην. Nam Rhoda neque usquam in Gallia fuit, neque (quod Strabo addit) adversus accolarum Rhodani incursiones in Hispania a Massiliensibus condi potuit. Agathae oppidi praeter Plinium l. c. aliosque, seorsim iterum meminit ipse Strabo, IV. p. 182. c. 1. §. 6, ex quo saltem Ῥοην Αγαθην non unum, sed duo oppida significare, ideoque verba, ut vulgo leguntur, corrupta esse, aperte patet.

184. Διπολις δ' εστι, τειχει διωρισμενη, — Huic loco commentarii instar erit Liv. XXXIV. 9, cuius verba hic liceat apponere. Iam Catonis tempore Emporiae duo oppida erant muro divisa. Unum Graeci habebant a Phocaea, unde et Massilienses oriundi: alterum Hispani (Indigetes). Sed Graecum oppidum in mare expositum (in litore conditum; νυν δ' οικουσιν εν τη ηπειρῳ, Strabo ait) totum orbem muri minus quadringentos passus patentem habebat: Hispanis retractior a mari trium millium passuum circuitu murus erat. Tertium genus Romani coloni ab divo

Caesare post devictos Pompeii liberos adiecti. Nunc in corpus unum confusi omnes: Hispanis prius, postremo et Graecis in civitatem Romanam adscitis." Similiter Plin. III. 4. 3: Emporiae; geminum hoc, veterum incolarum, et Graecorum, qui Phocaeensium fuere soboles." „Egregie igitur Strabonis illud διπολις et Livianae et Plinianae descriptioni convenit. Nihilo minus suspectum mihi olim fuit istud vocabulum. Primum enim orationi deest subiectum. Quorsum referemus illud διπολις δ' εστιν? Scilicet ex superioribus τω Εμποϱειον, vel, quum genus illud respuat, ex communi potius sententia ἡ πολις των Εμποϱιτων repetenda est, quam rationem certe incommodam esse fateberis. Sed ne forsan nodum in sirpo quaerere videamur, mittamus hoc. Deinde vero vocem διπολις lexica, quotquot inspexi, non agnoscunt, nisi quod Thesauri Steph. index ex solo Etymologico, ubi de Lemno ob duas eius urbes dicitur: Διπολις γαϱ εστι, eam receperit. Schneiderus quidem habet, sed ex solo Strabone. Quare severior talium rerum iudex vocem istam, tanquam veteribus scriptoribus vix usitatam, haud immerito in dubium vocaret, nisi ipse Geographus, sibi saltem usitatam esse, testaretur. Nempe iterum ea utitur lib. XIV. p. 649 Cas. §. 43, ubi de Nysa urbe Lydiae: εστι δε, ait, ὡσπεϱ διπολις. Iam igitur διπολις et hic locum suum iure tuetur, nec quicquam mutandum. Alioquin facili mutatione, quod olim malebam, legi posset: Ἡ δε πολις εστι τειχει διωϱισμενη. Ceterum ed. Hopperi, forte ex Aldina, nec non Guarinus, perperam habent: Διοπολις — τειχει διωϱισμενῳ. Paulo infra iterum: τειχει μεσῳ διωϱισμενῳ pro διωϱισμενον.

185. Διπλουν δε τουτο, τειχει μεσῳ διωϱισμενον. — Haec verba quid sibi velint, nondum cognitum haberem, nisi ex margine inportune irrepsisse tandem explorassem. Primum ne lectio quidem constat, dum Hopperus (forte et Aldus et Xylander) habet διωϱισμενῳ. Guarinus vertit: duplicata moenia sunt, medio dirimente muro. Xylander, διπλουν δε τουτο omittens: muro tamen intus ab Indigetibus distincti. Igitur ambos haesisse apertum est. Similiter Penze-

lius. Nec mirum. Secundo enim τουτο nihil habet, ad quod referatur. Ad περιβολον cum Guarino referri nequit; non enim το περιβολον Graece dicitur, sed ὁ περιβολος, qua de re adi Stephani Thesaurum, qui expressis verbis: ὁ περιβολος, ait, non το περιβολον Ita legitur apud Thucydidem, Polybium, Diodorum aliosque frequentissime; nec non apud ipsum Strabonem, ut III. p. 140 Cas. c. 1. §. 5: μεγαν περιβολον. Quare et XIV. p. 667. c. 3. §. 1: και μικρον περιβολον περιθεντος, masculino genere sumendum est. Schneiderus quidem etiam το περιβολον ex hoc ipso, puto, Strabonis loco (nam ex Strabone multa habet) recepit, sed inter voces dubias caute reiicit. (Sed interim fac, admitti posse το περιβολον, vel potius cum Coraio τουτο mutes in τουτον; nihilo minus verba, quae notavi, admitti non poterunt. Nam, quod tertium obstat, vel sic et sensu carent, et insuper orationis seriem pessime rumpunt. Quid enim istud rei est: Circuitus sive murus Emporiarum duplex est, et muro medio separatus? Atqui non circuitus sive murus, sed ipsa urbs duplex fuit, muro intercedente diremta; ambitum vero urbis muro diremtum fuisse, quis intelligat? Denique unde duplex urbi murus venerit, quove consilio factus sit, miror; nec minus miror, Livium et Plinium ll. citt. de illo silere. Strabo mehercule, qui semper sanae mentis est, non ita scripsit. Sunt ista potius glossatoris verba, insolitam vocem διπολις explicare volentis, cuius glossema deinde ab alio quodam in textum receptum, sed loco alieno interlitum est. Glossator vero, qui διπλουν δε τουτο non de περιβολῳ, sed de Emporio dixerat, satis bene, ipsius Auctoris verba repetens, glossemati suo addere potuit: τειχει μεσῳ διωρισμενον His itaque verbis, quorum quasi historiam adumbravi, quaeque nullum interpretum valde offendisse miror, in marginem, unde venerunt, remotis, et omnia erunt perspicua, et orationis series optime procedet. Quare uncis saltem notavi.

186. Την μεν αγαθην, την δε σπαρτοφορον, της αχρηστοτερας και ἑλειας σχοινου. — Difficilis hicce locus eo diligentiorem requirit expositionem, quo magis duos

excellentis ingenii et doctrinae interpretes, Casaubonum inquam et Salmasium, in eo constituendo et interpretando in diversas partes abeuntes videamus. Loquitur Geographus de agro Emporitano, quem partim frugiferum, partim σπαρτοφορον σχοινου, i. e. sparti vel iunci feracem, ideoque sterilem appellat. Spartum enim της αχρηστοτερας και ἑλειας σχοινου sc. ειδος, i. e. parum utilis et palustris iunci genus dicit. Quod an recte dixerit, prima quaestio est; deinde exploremus, utra lectio verior et genuina sit, vulgata, quam apposui, an ea, quam e codicibus suis prodidit praetulitque Casaubonus. Ante omnia tenendum est, spartum non esse idem cum iunco, sed longe diversum. Spartum enim, ἡ σπάρτος, το σπαρτὸν, το σπαρτίον universim Romanorum genista est (quanquam Plin. XXIV. 14. 9, temere dubitet), a Dioscor. Mat. med. IV. cap. 139 (158) luculenter descripta, Hispaniis etiamnum Esparto vel Atocha dicta, nobis Genster, Pfriemenkraut, Spartium monospermum Linn. vel, ut Schneid. putat, Stipa tenacissima. Ex lentis huius fruticis, ericae similis et per Hispanias, Italiam et Africam frequentissimi viminibus, ut etiamnum ita antiquitus, varii generis vitilia et textilia, ut tegetes, storeae, corbes, retia, funes et rudentes, carbasa et lintea nautica conficiebantur, ut nemo nescit; quare infra §. 9, την σπαρτον σχοινοπλοκικην Strabo appellat; quin et nendo in tenuissima ad lini instar diducitur fila, ex quibus subtilissima lintea contexi in oppido Daymiel in provincia La Mancha sito Mentellius auctor est (Hispan. vet. p. 116 vers. germ.). De multiplici sparti usu apud veteres loc. class. est in Plin. XIX. c. 2. XXIV. c. 9. Conf. Martyn. ad Virg. Georg. II. 12, et Carteri itinerarium a Gibraltar ad Malagam I. pag. 175 vers. germ. Interim sparti Hispanici usum Romanis Graecisque per Poenos demum bellis punicis innotuisse ex Plin. ll. citt. patet, quare Theophrasto spartum plane ignotum est. Homeri autem σπαρτα, Il. B. 135, funes sunt cannabini. De Poenis vero spartum ad rem nauticam adhibentibus locus est Livii XX. 20: vis magna sparti ad rem nauticam congesta est ab Hasdrubale. Cf. ipse Strabo paullo infra §. 9. Vo-

cabatur etiam ἡ λευκαια ἐξ Ἰβηριας, ut Athen. Deipn. V. p. 206. Cf. Hesych. in Λευκεα; et Schneid. Lex Graec. in Λευκεια· Ab hoc igitur sparto, locis aridis, siticulosis et lapidosis Hispaniae (Mel. II. 6) maxime crescente longe diversus est iuncus noster, locis palustribus innascens, idemque laevis et arundineus, et ad pauca utilis.

Iam his praemissis Strabonis verba considerantibus duo inprimis se offerunt, quae miremur; alterum, quod spartum cum iunco ob utriusque similitudinem quandam misere miscens utrumque pro eodem, aut certe spartum pro iunci specie habet; alterum, quod mira et insolentissima utitur locutione, quam ad verbum latine exprimere non valeo. Nam χωραν σπαρτοφορον σχοινου dicit, i. e. sparti feracem, quod spartum iuncus sive iunci genus est. Casaubono quidem phrasis ista egregie placet, quae nihil amplius ei significare videtur, quam χωρα φυουσα σχοινον, regio ferax iunci, sicut οινοχοειν ὑδωρ dicatur pro simplici εγχεειν ὑδωρ, et id genus alia. Mirificum sane dicendi genus, vix poetae ενθουσιωντι vel rhetori adfectatis et monstrosis phrasibus sibi placenti concedendum, nedum simplici historiarum et naturae descriptori. Strabonem ita se intelligi nolle, persuasum habeo. Praeterea ipse sibi contradicit Casaubonus. Ex sua enim interpretatione spartum e Strabonis loco plane remotum et quasi deletum est, quod fieri posse vellem; nihilo minus Strabonem spartum cum iunco confundere affirmat, et vituperat, quod spartum Hispaniae iuncum inutilem et palustrem appellaverit. Absque dubio, dum χωραν σπαρτοφορον Strabo dicit, sparti quidem feracem esse vult, (et sic Eustath. quoque ad Il. I. v. 135, hunc Strabonis locum recte interpretatus est p. 145 Bas.) dum vero adiungit σχοινου, spartum cum iunco confundit, huncque cum illo aut pro eodem aut certe pro specie illius habet. Idem vitium paullo infra §. 9, iterum committit, dum Spartarium campum, inter Orospedam montem et Carthaginem porrectum, Graece σχοινουντα interpretatur; imo Iuncarius campus, de quo nunc agit, σχοινους vocandus erat. Praeterea miro utique dicendi genere utitur, quum

σχοινου non habeat, ad quod referatur, nisi referas ad σπαρτον, quod latet in σπαρτοφορον Dicendum erat, si quidem utramque eandem putaret: τηνδε φυουσαν s. φερουσαν σπαρτον, την αχρηστοτεραν (vel nunc potius ευχρηστοτεραν) και ἑλειαν σχοινον; vel, si spartum iunci speciem esse vellet, ita: τηνδε φερουσαν σπαρτον, ἡ ειδος εστι της αχρηστοτερας και ἑλειας σχοινου; vel ita etiam, eodem sensu: τηνδε σπαρτοφορον· ἡ δε σπαρτος ειδος εστι της α. κ. ἑ. σχοινου Et re vera, si quis ita scripsisse Strabonem, et verba ἡ δε σπαρτος ειδος εστι casu quodam e veteribus libris evanuisse contenderit, equidem non contradixerim. Cave tamen putes, Geographum vere de sparto loqui, etsi illud nominet. Ne nominasset quidem, quum huic loco prorsus alienum sit (licet et spartum in campo Iuncario crescere lubenter concedam), nisi errore vel inscientia quadam deceptus alterum pro alterius specie haberet; et ipse culpam luat, si quis parum recte eum intellexerit.

Iam igitur Casaubonus, partim permistione sparti iuncique a Strabone commissa deceptus, Strabonemque de sparto loqui putans, partim Plinii (XIX. 7. 2,) testimonio, spartum esse proprie iuncum *aridi* soli affirmantis a recta via seductus, suorum codicum lectionem: ευχρηστοτερας και λειας σχοινου, i. e. utilioris et laevis iunci verissimam esse contendit. Quippe spartum ad funes rudentesque torquendos omninoque ad rem nauticam esse utilissimum, minimeque appellandum αχρηστον; σχοινον λειαν vero eandem esse, quam Dioscorides ita appellet et ab οξυσχοινῳ discernat. Praeterea etiam veterem Interpretem (quod concedo; is tamen locum perperam de agro intelligens vertit: qui vero inutilior est ac tenuis, iuncum producit) λειαν legisse.

Hanc viri magni explicationem merito impugnat et refellit Salmasius in Exercit. Plin. p. 262 sq. ed. Paris. vulgatamque lectionem auctori bene vindicat. Nimirum Strabo, quod acutissimi quoque viri iudicium est, non de sparto sive genista, sed de iunco loquitur, licet utrumque confundat et insolito loquendi genere utens spartum velut iunci speciem faciat, quod secus est. Quodsi autem de iunco loqui concesseris, nihil erit

quod impugnes vulgatum αχρηστοτεραν; sane enim parum utilis iuncus est, certe longe utilius spartum. Atqui Geographum iuncum, non spartum intelligere, vel ex eo patet, quod continuo hunc ipsum agrum iunco obsitum campum Iuncarium recte appellat, et a campo Spartario, de quo deinceps §. 9, locuturus est, licet et ipsum male interpretetur σχοινουν πεδιον, h. l. bene discernit. Salmasius itaque, dum Casauboni ευχρηστοτερας reponi non prorsus abnuit, quum etiam iuncus ad nonnulla sit utilis (quippe funiculos ex eo torqueri, ipse Strabo auctor est, infra p. 168 Cas. c. 5. §. 2), nimiam viro magno praestat facilitatem. Equidem nullo modo recipi posse, vulgatamque lectionem, quam plerique codices (nullam enim codicum suorum lectionis varietatem adnotat Siebenk.) et omnes editi exhibent, verissimam esse affirmo. Quid? quod ipse Geographus ita se scripsisse alta voce clamat. Satis diserte distinguit inter agrum Emporitanorum fertilem et sterilem (την μεν αγαθην, την δε σπαρτοφορον σχοινου). Iam vero iuncum, quem palustris profert et sterilis tellus, tanquam rem utiliorem commendari atque laudari, quis ferat? E contra de sparto si loqueretur, utilius illud iunci genus, ευχρηστοτεραν σχοινον, ut infra σχοινοπλοκικην σπαρτον, iure diceret. Itaque iuncus et ipse etsi non prorsus inutilis sit, quod re vera comparativi αχρηστοτερας vis leniens satis concedit, vel sola vis oppositi, hoc loco iuncum non ευχρηστον sed αχρηστον dici aperte demonstrat.

Quod attinet ad λειαν σχοινον, quam Casaubonus pro ἑλεια (pro quo a Salmasio, Casaubono in commentario, et a Siebenkeesio ἐλειαν cum leni scribi miror; sed Bas. Hopp. recte ἑλειαν) Geographo obtrudere conatur, summo hanc quoque iure reiicit Salmasius. Perperam Casaubonus in auxilium advocat Dioscoridem, cap. 634, in quo ipso male λεια legitur, pro quo ex vestustissimo codice potius legendum est σχοινος ἑλεια. Ἑλειαν vero σχοινον, iuncum palustrem sive marinum, praeter ipsum Dioscoridem et Strabonem, Theophrastus quoque, Galenus et Plinius aliique nominant. Et recte quidem; nam locis udis et palustribus nascitur iuncus. Hunc itaque Theophr. hist.

plant. I. 13 et IV. 13 *τοις ενυδροις και λιμνωδεσιν* assignat, simulque recenset *του σχοινου τρια ειδη· ὁ, τε οξυς, και ακαρπο, και ὁ καρπιμος, ὁν μελαγκρανισμον* (lege *μελαγκρανίαν* cum Salmasio, vel potius *μελαγκρανὶν*, ut saepius vocatur Theophrasto et Plinio XXI. 69. 18, Theophrastum exscribente, de qua dicam infra ad p. 168 Cas. c. 5. §. 2) *καλουμεν, και τριτος ὁ καλουμενος ὁλοσχοινος.* Eundem Galenus *σχοινον ἑλειαν*, Plinius l. c. marinum vocat. Quis igitur in tot scriptorum consensu dubitet, quin Strabo quoque *ἑλειαν* scripserit? Cuinam veri simile videatur, Geographum quasi *εν παροδω* nos edocere velle, iuncum esse laevem? Ubi est, qui hoc nesciat? Ecquis nodum quaerat in scirpo? Palustrem contra vocari, eo magis convenit, quo plura iunci sint genera, quorum unum distinguendum erat. At vero, ais cum Casaubono, Plinius, lib. XIX. 7. 2, spartum appellat iuncum *aridi* soli. Ain' Tu? En, duplex damus responsum. Primo non loquitur Strabo de sparto; Plinius igitur quicquid de sparto dixerit, nos nunc non curamus. Sed fac, de sparto loqui; ne tum quidem aliquid proficis. Tantum enim abest, Plinius ut iuncum solo arido assignet (quod si faceret, certe foret infrunitus et ridiculus), ut ipse potius palustrem faciat. Audi quaeso eius verba: Herba haec (spartum) sponte nascens, et quae non queat seri, iuncusque proprie aridi soli." Ubi vides comparationem institui sparti iuncique; quod iuncus, Plinius ait, locis palustribus est, idem spartum est aridis; est igitur spartum quasi iuncus soli aridi. Praeterea aliis locis ipse iuncum palustrem vocat, e. gr. XVI. 37. 70: scirpi fragiles palustresque. VIII. 41. 27: iunco palustri. Ceterum et Coraius vulgatam mecum tenet.

187. *Και των της Πυρηνης ακρων νεμονται,* —

Locus corruptus; Casaubonus ait, et aliqua voce mutilus." „Scilicet *νεμεσθαι* secundum casum respuit. Itaque aut *επι των τ. Π. ακρων* legendum, aut, quod aliquis praeferat, *τα τ. Π. ακρα νεμονται.* Quia compendiis utebantur librarii, lapsus erat facilis. Neque Coraiana displicet emendatio; *τινα τε και των* etc. At-

tamen Strabonis mens ea potius esse videtur, ut nonnulli Emporitanorum etiam iuga Pyrenes incoluisse dicantur. Ex mente Coraii Emporitani nonnulla iuga incoluerunt

§. 9.

188. Απο τε των αναθηματων του Πομπηϊου —

Aut vocula τε delenda est, aut exciderunt pauca verba, per και tanquam alterum membrum praecedentibus iungenda. Forte igitur post verba του Πομπηϊου Strabo addiderat: και της Πυρηνης, vel, quod malim: και της Ιουγκαριας πολιος, quae verba iis, quae statim sequuntur (δια του Ιουγκαριου πεδιου) simillima, a dormitante librario perfacile omitti potuerunt. Iuncaria oppidum ex Ptol. II. 6, ex Itin. Antonini et Tabula Peutingeriana notum, campo Iuncario a parte boreali initium fuit, quippe ad ipsam Pyrenes radicem situm in angusto transitu, quem hodie Pertus vocant, nuncque nomen retinet Junquera. Interim ne audacior dicar, nihil de meis Straboni obtrudere volui.

189. Και του Μαραθωνος καλουμενου πεδιου —

Optime quidem Casaubonus mentem Strabonis assecutus est, qui appellari indicat hanc regionem Romana voce (campum Foenicularium innuens), quae respondeat Graecae Μαραθων. Romanam vero appellationem, ut erat linguae Romanae parum peritus (de quo cf. supra nr. 24 et 133), ignorasse ideoque Graeca usus esse Strabo videtur. Nam, quum Latinum nomen indicare vellet, proprie dicendum erat: του φοινικουλαριου vel Φοινικλαριου καλουμενου πεδιου. Sed quicquid dixerit Casaubonus de eleganter expresso a Strabone campo Foeniculario, me quoque, ut olim Lipsium, valde offendit το Μαραθων καλουμενον πεδιον, quasi Latine diceres: campus Foenicularius dictus campus, vel campus, quem Foenicularium campum dicunt. Scilicet ὁ μαραθος, το μαραθον et Μαραθρον est foeniculum, anethum foeniculum Linn. de quo adi, si lubet, Dioscorid. III. c. 81 (65) et Plin. XX. 23. 95. XIX, 9. 56. Το μαραθρον usitatius erat, quam ὁ μαραθος et

το μαραθον. Hoc tamen et ipse Strabo habet (φυοντος πολυ το μαραθον), et Athenaeus utrumque plus semel; etiam Nicander in Theriacis. Cf. Schweigh. Animadv. in Athen. Vol. I. pag. 379. Nonnulla tamen lexica utraque voce ditari poterunt. Iam vero ut a voce μαραθρον derivatur ὁ Μαραθρων, ita ab ambabus alteris ὁ μαραθων; utrumque campum foeniculo consitum significat, quem Romani dicebant Foenicularium, ut Cicero ad Att. XII. ep. 8. Straboni itaque, si campum Foenicularium ad analogiam Graece exprimere vellet, dicendum erat aut ὁ Μαραθρων s. Μαραθων καλουμενος, omisso πεδιῳ, aut το Μαραθρονιον s. Μαραθωνιον πεδιον. At vero Μαραθρων (ut Schneideri Lex. recepit ex hoc loco; quo iure, nescio; nam editi habent Μαραθωνος) πεδιον vel Μαραθων πεδιον mira et insolens est locutio. Ergo vides, mi Casaubone, male respondere το Μαραθων πεδιον Latinorum campo Foeniculario, quem eleganter Strabonem exprimere autumas. Analogiam ita postulare affirmas. Quaenam tandem? Imo triplex analogia ipsum postulabat contrarium. Nam sive respexeris ad Latinorum campum Foenicularium, sive ad Marathonem vel campum illum Marathonium, Persarum clade nobilitatum, qui aut το Μαραθωνιον πεδιον, aut simpliciter nominatur ὁ Μαραθων, non vero ὁ Μαραθων πεδιον; sive denique respexeris ad analogiam του Ιουγκαριου, του Σπαρταριου, του Σχοινουντος πεδιου, et hic utique dicendum erat vel του Μαραθωνιου καλουμενου πεδιου, vel του Μαραθωνος καλουμενου, omisso πεδιου. Iam igitur causam quoque vides, mi Casaubone, qua adductus Lipsius putaverit in Strabone scribendum esse του Μαραθρονιου, pro quo tamen, quia a vulgata minus recedit, malim Μαραθωνιου. Non quasi ignorasset Lipsius, μαραθον dici et μαραθρον pro eodem, sed quia offendebatur miro isto Μαραθωνι πεδιῳ. An Tu, ut palinodiam canamus, cum ista sciberes, ignorabas, τον Μαραθωνα iam per se Latinorum exprimere campum Foenicularium? An vero triplicem, quam exposuimus, analogiam του Μαραθωνιου πεδιου non videbas? Quae quum ita sint, an genuinam Strabonis scripturam habeamus, incertus sum; nam του Μαραθωνιου κ. πεδιου. Auctorem scripsisse et ipse suspicor; aut, si nihilo

minus *του Μαραθωνος κ. π.* i. e. *του πεδιου, ὁ καλειται Μαραθων*, scripserit, certe nec eleganter nec ad analogiam scripsit.

Super Ciceronis locum ante excitatum pauca addere liceat, quem viri docti plerique, ut Manutius, Turnebus, Ernestius, Reichardus, Schellerus aliique non ceperunt, scilicet, quia campus Foenicularius in Hispania (qui, ut obiter adspergam, inter Barcinonem et Tarraconem intra Laletanorum fines iuxta oram porrigebatur) ipsis ignotus esset, ita ut quasi angustiis pressi, et quomodo se expedirent nescii, alii in alias delapsi sint nugas. Sic Mongaltius, quem temere sequitur Reichardus in vers. german. III. p. 365, nomen a foeno ducit, parcequ'il y avoit des belles prairies. Solus Strabo loco per se obscuro lucem adfundere poterat, qua primus usus est Lipsius (Elect. II. 21; cf. Cic. l. c. ed. Graev. T. II. p. 306), licet Ciceronis mentem multum abest ut penitus penetraverit. „Scribe, ait, quid Celer de Caesaris consiliis dixerit, utrumne in campum Martium cogitet ad comitia, an in Foenicularium, i. e. in Hispaniam et reliquias belli." „Ita minime; nam Caesar tunc temporis, post Mundense proelium bello fere confecto, in ipsa Hispania erat reditumque parabat in Italiam. Inter antiquiores interpretes solus Popma, quantum scio, et nuper Schützius, V. S. loci sensum recte ceperunt, licet aliquid addendum reliquerint. Nimirum Cicero, qui tum in parva insula Astura prope ostium fluminis cognominis Latii (Strab. V. p. 232 Cas. §. 6, *ὁ Στορας ποταμος*) in villa sua delitescebat, necdum de felice pugnae et belli eventu compererat, ex Attico certior fieri vult, utrum Caesar candidatorum electionem post reditum demum more sueto et legitimo comitiis habitis in campo Martio Romano, an ex ipsius potius arbitrio et auctoritate sine comitiis in Hispania confecturus sit. Iam vero Hispaniam designat campo Foeniculario, iocosa et arguta utriusque campi oppositione utens. Non opus erat, ut, quod Schützio placere video, ipsi candidati ad Caesarem evocarentur in Hispaniam, multo minus ea Caesaris mens erat, ut re vera in ipso campo Foeni-

culario electio fieret. Neque ea Ciceronis mens est, qui lepide et argute, ut assolet, nec sine acri quadam ironia Hispaniensem Foenicularium Romano Martio opponit, nihil amplius.

190. Ὡς αν ἁλισχοινουντα καλουμενῳ πεδιῳ — De voce ἁλισχοινους, quam lexica non agnoscunt, nullum est dubium, quin, ut Casaubonus ait, a mala manu profecta sit. Nam vix dici poterit, quid significet, sive verteris campum iuncarium marinum, sive campum iunci marini. De iunco enim marino sive palustri h. l. non agitur; spartum vero non esse foetum marinum palustremve, supra monuimus. Interim hoc mittamus; iterum enim spartum cum iunco Strabo confundit, sive ipsius, sive auctorum, quibus utebatur, culpa. Sed quomodo scripserit, ipse testatur, dum paulo post non ἁλισχοινουντα, sed σχοινουντα hunc campum vocat. Quare hic quoque legendum cum Casaubono; ὡς αν Σχοινουντι, quod habet codex Mediceus et merito recepit Siebenkeesius (etiam Cor.), qui cum Casaubono testatur, in veteribus libris desiderari voculam αν. Quae quum in aliis reperiretur, forte sciolus ex ανσχοινουντι infeliciter emendavit ἁλισχοινουντι. Ita suspicatur Casaubonus. Ceterum ὡς αν eodem sensu dictum, quo supra §. 6: Διανιον, οἷον Αρτεμισιον.

191. Εις ταυτὸ και τεινουσαν τῃ προτερᾳ, — Ex Casauboni libris pro και cum Cor. reposui δε. Via magna, de qua loquitur et Polyb. III. 39, et ipse Noster iterum lib. IV. p. 187 Cas. c. 1. §. 12, mare versus transposita, attingebat tantum Spartarium campum, nihilo minus (δε) eodem ducebat, quo prior antea per ambages duxerat, Castulonem scilicet et Obulconem. Sic etiam Interpres prior locum intellexit; minus recte Xylander et Penzelius. In antiquioribus editis, ut Hopperi, totus locus male distinctus legitur. — Pro Κλάστωνα scripsi Κασταλῶνα cum Casaubono. De hoc nomine semper corrupto dictum est ad pag. 142 Cas. c. 2. §. 3 et c. 3. §. 2.

192. Paulo post cum Casaubono scribamus ελθειν τον Καισαρα vel ελθειν Καισαρα pro vulg. ελθειν και Και-

σαρα. Ms. Reg. ap. Sieb.: εισελθειν Καισαρα omisso και, sed male repetita ultima syllaba praecedentis συγγραφεις. Similis repetitio produxit και Καισαρα; sicque innumera in Strabone vitia orta sunt, cuiusmodi continuo tertium exemplum addam.

193. Συναπτειν εις τον περι την Μουνδαν πολεμον. —

Συναπτειν εις τον πολεμον pro συναπτειν τον πολεμον Graece dici non memini. Scilicet συναπτειν τινι, vel εις et προς τινα intransitive significat attingere, appropinquare, accedere, adhaerere, ut supra legimus συναπτει σπαρταριῳ, et paulo infra §. 10, συναπτει τῳ δρυμῳ et lib. I. p. 56 Cas.: συναπτοντα τῳ κολπῳ· επειδη το συναπτειν σημαινει και το συνεγγυς; apud Herodotum συναπτει τῳ πεδιῳ, et Polyb. III. 67, γεωλοφοι συναπτοντες τῳ ποταμῳ, et alio loco συναπτειν εις Σελευκειαν; etiam de tempore absolute ita dicitur Polyb. V, συναπτοντος ηδη του χειμῶνος. Contra quarto casui iunctum, συναπτειν τι τινι vel προς τινα notione transitiva adnectere, coniungere et conserere significat. Συναπτειν την ανδρειαν τη μουσικη Plutarchus habet in Lycurg. c. 21. Hinc συναπτειν τοις πολεμιοις sc. ἑαυτον sive τας χειρας, consequi et aggredi hostem, ut in Polyb. I. 76, III. 83. Etiam συναπτειν εις τας χειρας (Polyb. I. 76, 6.) vel χειρας ες μαχην, vel adeo simpliciter την μαχην, τον πολεμον, ut in Xenoph. Cyrop. I. c. 43, et Leone Imperat. apud Lamb. Bos. Ellips. Gr. p. 274 apud Graecos non minus obvium est, quam apud Romanos committere proelium vel conserere manus. Quin etiam συναπτειν, omisso μαχην, absolute ita dicitur, ut Eurip. Phoeniss. v. 1309. Eadem forma συναπτοντες ἱππομαχιαν Αμαζοσιν apud Aristidem; cuiusmodi plura dabit, si iuvat, index ad Plutarchum Reisk. Etiam συναπτω σοι πολεμον vel προς σε, bellum tibi infero, Euripidem dicere et Thucydidem, e Scapula comperio. At nusquam exemplum invenio του συναπτειν εις τον πολεμον. Quare, nisi συναπτειν εις τον πολεμον dictum esse velim pro συναπτειν τοις πολεμιοις εν τῳ πολεμῳ, quod admodum durum videtur; vel notione accedendi sc. εις Ἰβηριαν, ut sit: quum profecturus esset in Hispaniam ad proelium Mundense, quod non magis placet; voculam εις, procul

dubio ex repetito antecedenti ειν exortam, delendam esse arbitror. Nam sensus est: quum Caesar conserturus esset proelium ad Mundam; nil amplius, nec aliter interpretes. Etiam Coraius voculam εις asteriscis notavit. Praeterea antiquiores editi, etiam uterque Casaubonianus, τον Μουνδαν habent, quo nomine fluvium Lusitaniae supra habuimus p. 153 Cas. c. 3. §. 3, quem apertum errorem correxit tandem Siebenkeesius ex commentario Casauboni.

§. 10.

p. 161 194. Μεχρις Αστουρων — Iucunditatis causa adnotabo, in ed. Bas. Hopp. certe quoque in Aldina, legi Σατυρων. Sed bene iam Xylander capripedes Satyros pepulit ex Iberia, revocavitque Astures. Sine dubio in codice erat Αστυρων, de qua nominis varietate supra dictum est ad c. 3. §. 2. nr. 126. — Paulo post pro τελευτην sc. εχον Coraius dedit τελευτῶν. Causam nescio. Deinde haereo in: απο Στηλων. An επι Στηλων? Vel εντος Στηλων? Oram intelligit iuxta Columnas. Sed pro καλουσι Ιδουβεδα rectius dedi κ. Ιδουβεδαν, ut legitur §. 12.

§. 11.

195. Τοις περι Ιλερδαν και Ιλεοσκαν χωριοις, —

De Ileosca oppido inter viros doctos nondum constat, utrum eadem sit cum Osca, an diversa. Cellarius in tanta dissensione nihil definit, Mannertus vero: forte eadem est, ait, forte alia, Oscae vicina, quam Velleius II. c. 30. Etoscam appellat." „Sed praeter Oscae nomen Ileoscae quoque urbi fuisse, vix cuiquam probabile erit, quum nusquam occurrat, et ipse Strabo paulo infra Oscam urbem bis nominet. Osca vero, hodierna Huesca Arragoniae, urbs magna, antiqua et praedives, non ex uno Strabone, sed vel ex Plutarchi Sertor. 14 et 25, ex Liv. XXXIV. 10 et 46; XL. 43, Flor. III. 22, Caesar. civ. I. 60, Plin. III. 4. 3 Vellei. II. 30, aliisque, etiam ex numis et inscriptionibus (apud Cellar. I. p. 149, Harduin. ad Plin. l. c. et Gruter. I.

p. 521. nr. 9) satis nota; Ileoscae vero nemo meminit. Alio tamen sensu Ileosca cum Osca eadem erit, si, quod viris doctis dudum placuit, Ileoscae nomen, ut corruptum, in Oscam converterimus. Ita fecit Puteanus, και Οσκαν corrigens, quod merito probat Casaubonus. Ita et Lud. Nonius in Hisp. c. 83 corrupte legi Ileoscam loco Oscae iudicat, ut ex Addend. edit. Almel. comperio. Haec emendatio probabilior fit, quum mendi origo eadem esse videatur, quam toties notavimus. Scilicet ex praecedenti Ilerda tres priores literulae Ile Oscae quoque adhaeserunt. Dum vero idem Puteanus και Λισσαν και Οσκαν legi mavult, me quidem habet adversarium. Primo enim nihil est, quo tam audax mutatio efflagitetur; tum vero Lissa oppidum (sive Lesa, ut in Ptolemaeo latino Magini scribitur II. 6.) Iaccetanorum sive Lacetanorum fuit, non autem Ilergetum. Iam vero, quid fiet Velleii Etoscae? Hanc quoque non aliam esse, quam Oscam, viri docti recte censuerunt, et Velleii locum ita legi volunt; Perperna Sertorium inter coenam Oscae interemit. Unum tamen virum, eundemque magni momenti, quippe rerum Hispaniensium peritissimum, Petrum de Marca, habemus dissentientem. Is, ut ex Cellario I. p. 149 addisco, in Marca Hisp. II. p. 111, Ileoscam ab Osca distinguit, illamque cum Velleii Etosca pro eadem haberi, simulque paulo infra in loco Strabonis corrupto, de quo mox sermo erit, εν Ιλεοσκη mavult subrogari. Quibus causis adductus ita iudicet, quum ipsius librum adire non liceat, nescio; verumtamen ne eius sententiam amplectar, id praecipue vetat, quod nemo veterum nec Ileoscae nec Etoscae, quantum equidem sciam, meminerit; praeterea vel sic alterutrum nomen, aut Strabonis Ileoscam aut Velleii Etoscam, depravatum esse, ipsi Archiepiscopo erit concedendum. Denique, quum neminem fugiat, quam saepe in nominibus locorum parum notorum, tum in aliis scriptoribus tum praecipue in Strabone a librariis peccatum sit, rectius facere eos arbitror, qui nomina prorsus incognita et ob id ipsum suspecta, praesertim quum vicinorum nominum similitudo accedat, agnoscere nolint, quam terras locupletare locis, quae numquam fuerunt. Quae quum ita sint, et

alia insuper momenta accedant, quae Ileoscam elevent et respuant, Oscam vero requirant, nullus equidem dubito, quin viri docti verissime emendaverint: και Οσκαν. Primo enim Ilerda et Osca capita fuerunt Ilergetum, illa meridiem versus, haec septentrionem; utraque igitur Iaccetanorum fines, re vera ad has fere Ilergetum urbes procurrentes, in Strabone commodissime designat. Dein paulo infra, ubi Ilerdae distantia ab Ibero et Tarracone definitur, ab Osca quoque quantum distet subiungitur, quippe urbe Ilergetum versus septentrionem principe, ubi ambas iterum iungi vides; ergo superiori quoque loco Strabonem ambas iunxisse perquam probabile est. Porro in his urbibus (Ilerda et Osca) et Calaguri Vasconum ultimum bellum gessisse Sertorius Straboni dicitur; re vera ultimum, quippe Oscae interfectus; quo facto omnis Hispania pacata est. Quin et Florus III. 22 extr. idem narrans, inter alias urbes, quae occiso Sertorio victoque Perperna in Romanam fidem venere, Oscam quoque et Calagurin diserte nominat. Nonne itaque et Strabonem Oscam scripsisse credere par erit? Denique Sertorius obiit Oscae, de quo nemo dubitat, non vero Ileoscae, si quidem ea fuerit; certe itaque ad locum, qui statim sequitur corruptum (ετελευτα δε νοσῳ) Petr. de Marca Ileoscam summa iniuria transtulit; quumque in Velleiana quoque Etosca sive ipsius auctoris sive librariorum culpa erratum sit, nihil sane relinqui Marcae arbitror, quo Ileoscam suam tueri queat. Interim et Coraius illam tuetur. Sed iam de loco isto curatius videbimus.

196. Ετελευτα δε νοσῳ.

Igitur morbo periit Sertorius? Omnes, qui Sertorii mortis mentionem faciunt, veteres contradicunt. Scilicet a Perperna pluribusque coniuratis inter pocula confossum esse, ad unum omnes tradunt; Plutarch. Eum. c. 20. Sertor. 26. Appian. Civ. I. 113. Liv. Epit. 96. Sallust. Fragm. Hist. III, in fin. Flor. III. 22. Velleius II. 30. Eutrop. VI. 1. Oros. V. 23, et qui sunt forte alii. Itaque ne Strabo quidem aliter tradere potuit. Nihilo minus ex codicibus nulla lectionis varietas notatur. Νοσῳ autem corruptum esse, quis dubitet? Xy-

landri enim opinio, cui haec historia alterius cuiusdam esse videtur abolita, nihil habet, quo se commendet. Absque dubio sub ista voce urbis nomen latet, ubi Sertoriania caedes perpetrata est. Oscae autem Sertorium occisum esse, etsi paene nullus laudatorum scriptorum diserte tradat, ex Plutarchi saltem narratione (Sertor l. c.) veri simillimum est. Accedit Velleii testimonium, si quidem, quum in hoc etiam loci nomen ex emendatione demum, quanquam et facillima et maxime probabili, Osca legatur, hoc teste uti licet. Nam pessimo casu accidit, ut in utroque scriptore, qui loci nomen subiunxit, Velleio inquam et Strabone, hoc ipsum nomen mendo laboret. Attamen alter alterum satis bene adiuvat vel ipsa corrupti nominis similitudine, quae ab utroque idem nomen indicari satis aperte prodit. Sicut igitur Velleii Etosca perfacile se mutat in Oscam, ita Strabonis το ι Oscae vestigia optime servat. Egregia itaque Puteani coniectura est, feliciter emendantis: εν Οσκῃ nisi quod malim εν Οσκα, quam formam infra Geographus habet. Assentiuntur huic emendationi Nonius in Hisp c. 83, Wessel. ad Anton. Itin. p. 391, Casaubonus et Gelh., Voss. ad Velleii l. c Siebenkees Penzelius et Coraius. Unus Petrus de Marca, cui Ileosca ab Osca diversa est, huc quoque, ut sibimet ipsi constet, non potest non transferre Ileoscam suam, ideoque legi vult: ετελευτα δ' εν Ιλεοσκῃ. Sed numquam fuisse Ileoscam virumque summum in hac re falli, modo exposuimus, nec ullum inter viros doctos inveniri credo, qui Sertorium Oscae confossum esse dubitet. Cf. de Ferreras Hist. Hispan. univers. 357 sqq. vers. german; Beck. Hist. univers II. p. 194 not. f. et, quem Bekkius adlegat, de Bross. II. 327 -- 339. Leopold ad Plutarch Sertor. c. 14. Mentell. Hispan vetus, p. 153, qui tamen, dum Aurelio Victore teste utitur, egregie fallitur fallitque alios; nam de loco caedis Sertorianae apud Victorem ne verbum quidem legimus. Idem denique, quod valde miror, Calaguri Sertorium occisum esse, a quibusdam tradi narrat; cuius rei unum saltem testem nominasset, vellem.

197. Δια τουτων δε των ὀρῶν —

Per quosnam montes? Scilicet per Orospedam, inquies, et Idubedam, quorum situm in superioribus descripserat Geographus. Sed nihilo minus, ut lectio sit integra, vereor. Primo enim post illorum montium descriptionem nimis multa secuta sunt, quam ut continuari oratio ita commode possit: per hos montes. Tum vero, quod maioris momenti est, iter a Tarracone ad Vascones et Pompelona, per istos montes, longe trans Iberum dissitos, quomodo ducere potuerit, equidem non assequor. Quasi vero aliquis Lipsia Hamburgum peteret per Vogesum! Itaque, nisi excidisse nonnulla putaveris, quae de montibus quibusdam citra Iberum sitis egerint, (quod, quum neque magnos istic locorum montes, neque in textu lacunae vestigia deprehendamus, parum probabilitatis habet) vox ὀρῶν vix ferri poterit. Τόπων potius, vel χωρῶν, vel etiam χωρίων, ut §. 13: Κελτιβηρων εθνη και χωρια, utque de his ipsis regionibus paulo supra: τοις περι Ιλερδαν και Οσκαν χωριοις, a Strabone scriptum fuisse suspicor. Et re vera per has regiones et urbes, quas modo commemoravit, Oscam scilicet et Ilerdam, ad lineam rectam via ducit Tarracone ad Vascones et Pompelonem Coraio olim placuisse ὅρων, nunc video, quod postea merito ipse damnasse videtur.

198. Ιδανουσαν πολιν, —

Nomen urbis auditu iucundum, quippe graece sonans, corruptum esse doleo. Οιδασουναν vel Οιδασυνα, in quibus iam vestigia veri, in nonnullis codd. reperiri, et ita Interpretem veterem legere, testantur Casaubonus et Siebenkeesius. Attamen ed. Bas. Hopperi et in textu et Guarini versione habet Idanusam, quam omnes editi retinuerunt. In aliis codd. iisdem testibus reperitur Οιασουνα, quod, nisi ipsum verum est, vero proxime accedit. Est enim Οιασω πολις Ptol. II. 6. cum promontorio cognomini in confiniis Iberiae et Galliae (in versione Latina Magini Easo), Oeaso Mel. III. 1, Oeasuna in Gruteri inscript. T. I. p. 718, nr. 5. Quare et Strabonem scripsisse Οιασωνα vel Οιασουνα, credere par est. Plinio III. 4. 3 et IV. 34. 20 voca-

tur Olarso, Marciano Oiasso vel Tarso. Nunc pagus est Oiaiso, leucis a Fontarabia duabus. Forte tamen, an Oeaso cum Olarsone eadem sit, in dubium vocari poterit, qua de re scriptores Hispanici, ut Mariana Hist. I. c. 2, consulantur velim. Equidem nihil affirmo. Si eadem fuit, neque Ptolemaeus neque Plinius verum loci nomen habere videtur, quod fuit, puto, Oearso s. Οιαρσω ita ut uterque ex altero aliquid proficere queat, neque alter ex altero mutandus sit, de quo dissentiunt viri docti ad Mel. l. c. Ceterum etiam Coraius Οιασωνα dedit, quod dudum voluit Ortel. in Thes. s. v. Oeaso.

199. Τους κατα Πομπελωνα, —

Nomen urbis etsi apud veteres, qui praeter Strabonem illius mentionem faciunt, Ptolemaeum, Plinium, Antoninum in Itinerario et Athenaeum (apud hunc, XIV. c 21. p. 658, ex Strabone tantum transscriptum) satis constanter Πομπελων sive Pompelo audiat; (nam quod in vetustis Athenaei libris, etiam in edit. Ven. et Bas. πολις Πομπαιδων legitur, id haud dubie a librariis, non ab auctore peccatum); tamen silentio non praeteribo, in Gruteri opere duas inscriptiones, pag. 325. nr. 1 et p. 455 nr. 11, exhiberi, in quibus scriptum est Pompaelonensi per diphthongum, sicut in hoc Strabonis loco edit. Aldina, cui, quum sit editio princeps, codicis auctoritas debetur, habet κατα Πομπαιλωνα, et edit. Bas. Hopperi, qua utor, paululum aberrans Πομβαιλωνα. Huic nominis varietati idcirco aliquid momenti forte dandum est, quia de origine urbis inter viros doctos ambigitur, sitne illa a Pompeio condita, nec ne. Iam, quum illi, qui Pompeium pro conditore haberi volunt, nimirum scriptores Hispanici, de quibus plura habet Cellar. I. pag. 109, similitudine nominis et Strabonis testimonio, paulo infra Pompelonam ὡς αν Πομπηιουπολιν nominantis, praecipue innitantur, et praeterea inscriptionem quandam Vasconensem, de civitate Pompeionensi loquentem (Cellar. l. c.) in rem suam proferant; ab iis, qui contrarium affirmant, lectionis ista discrepantia, quam et inscriptiones Gruterianae et veteres Strabonis edi-

tiones ostendunt, pari iure opponi poterit. Nihilo minus tamen, quum aliis iisque gravioribus argumentis, quorum subtilior expositio non huius loci est, Hispanorum opinio refelli queat, huic lectionis discrepantiae equidem parum tribuam momenti, quum nil nisi sculptorum et librariorum aberratio esse videatur. Vetus enim urbis nomen Pompelonem s. Pampelonem fuisse, dubitari eo minus potest, quo magis hodiernum Pamplonae urbis nomen illud confirmat.

Sed in Athenaei loco, qui Pompelonem commemorat, paulo immorari collubet. Scilicet quum Deipnosophistarum sermo in pernam, cuius egregia portio adposita esset, incidisset, Gallicas pernas omnium esse optimas, unus ex convivis contendit; quod ut probet, Strabone utitur teste, cuius locum de Pompelone ex memoria ita recitat: Εν Σπανιᾳ προς τῃ Ακυτανιᾳ πολις Πομπελων, ὡς αν ειποι τις Πομπηϊοπολις, εν ᾗ περναι διαφοροι συντιθενται ταις Κουρικαις (al. Κιβυρικαις; legendum est Καντα-βρικαις) εναμιλλοι Primum, Strabonis verba non accurate transscripsisse, sed ex more solito memoriter recitasse Deipnosophistam, ex Strabone ipso apparet. Sed cave, ne Athenaei testimonio Pompelonenses pernas sive succidias laudes. Egregie enim fallitur Deipnosophista, dum Pompeloni tribuit, quod de Cerretanis, gente Iberica in ipsis Pyrenaeorum convallibus habitante, (Martial. XIII. 54: Cerretana mihi fiet perna) paulo infra hac ipsa pagina tradit Geographus. Duo itaque ille loca commiscuit et quasi in unum contraxit. Interim hic lapsus erit condonandus citanti ex memoria. Est autem aliud, quod magis miremur. Nam Athenaeus, Gallicas pernas optimas esse probaturus, Pompelonenses pernas prae ceteris laudat, quasi Pompelo urbs sit Galliae. Neque tamen est nescius, Pompelonem esse Hispaniae; ait enim: εν Σπανιᾳ πολις Πομπελων. Adeo insulsum sermonem Athenaeum fecisse, nemo facile crediderit; nec satis mirari possum, nec Casaubono nec Schweighausero id esse animadversum. Uterque enim, multa licet de isto Athenaei loco disseruerit, de hac re ne verbum quidem. Sed est, quo patrocinari Deipnosophistae possimus. Scilicet in verbis, quae paulo supra leguntur: Καλλισται μεν γαρ αἱ Γαλατικαι ri-

diculae sermocinationis causam inesse, facile apparet. Non Γαλατικαι περναι sunt, ut in editis falso legitur, sed Γαλλαϊκαι (ut habet vetus codex, notante Schweigh.), vel Γαλλαϊκαι, i. e. apud Gallaicos sive Gallaecos confectae. Quam lectiônem merito textui restituit Schweighauserus, licet editae scripturae Γαλατικαι singulariter favere Varronem dicat, qui de R. R. II. c. 4. 11, diserte scribit, succidias Gallos optimas et maximas facere consuevisse; quod quidem an de solis Cisalpinis Gallis intelligendum sit secundum Polybium, II. 14 sq. valde dubito. Nam universim Gallicas pernas, petasones et suilla salsamenta, nominatim Sequanorum et Belgarum, etiam Romae in magno honore fuisse, ex ipso Strabone, lib. IV. p. 192 Cas. et 197 novimus. Interim et Hispaniae ulterioris et Lusitaniae sues ob eximiam magnitudinem celebres fuisse, ex Varronis loco excitato non minus constat. Igitur missas faciamus pernas Gallicas et praeferamus Gallaecas, ut habeamus saltem Ibericas, licet vel sic parum accurate Deipnosophista loquatur, quum Pompelo longe distet a Gallaecia; quod ne ipsum quidem latuisse, satis indicat, quod ait: προς τῃ Ακυτανιᾳ.

Ceterum animadvertat Lector, quomodo acceperit Athenaeus Strabonianum illud: ὡς αν Πομπηϊοπολις. Athenaeo nil nisi mera et puerilis similitudinis et adlusionis nota esse videtur, sicut nuper Mannerto nostro, I. p. 377. Nam interserit ειποι τις, quibus verbis Strabo non usus erat, i. e. quasi quis ad Pompeium alludens Pompelonem dicat Pompeiopolin. Ego tamen, etsi multum absit, ut Pompeium pro conditore habeam, nonnullos tamen veterum, fortasse ipsum Strabonem, id credidisse, et id ipsum indicare Strabonem voluisse arbitror, et voculam ὡς non merae allusionis, sed veritatis potius notam h. l. esse cum Cellario l. c. credo. Denique adiiciam, a Casaubono recte scribi Πομπηϊοπολις vel Πομπηϊούπολις (coniuncte tamen) pro vulgata antiquiorum lectione Πομπηϊπολις. Strabo ipse confirmat hanc scripturam lib. XII. p. 562 Cas. §. 40 et 41, et XIV. p. 664. §. 1, ubi Tzschuckius dedit Πομπηϊούπολις; nonnulli tamen codices praeferunt Πομπηϊοπολις. De variata forma cf. Tzschuck. ad Mel. Vol. III. p. 411.

p. 162 200. Ταις Κανταβρικαις εναμιλλοι, —

Pernae et petasones Cantabrici, re vera et nobis parum noti, vetustis librariis adeo ignoti fuerint, ut saltem plerique in exarando hoc nomine quasi pertinaciter aberrare maluerint, nec in Strabone solum, sed etiam Athenaeo. Vulgata omnium editorum librorum lectio, excepto Siebenkeesiano, est Κανθαρικαις; sine sensu. Vero proxime accedit codex Henr. Stephani, quo huius gener usus est Casaubonus, qui in eo reperit Κανταυρικαις, i. e. modo υ mutemus in β, Κανταβρικαις, quae lectio Xylandro quoque se obtulerat. Ita etiam bene expressit vetus Interpres Latinus, sine dubio praeeunte codice quodam; nam Aldina vulgatam habet. Sunt enim codices (Reg. Stroz. Venet.), qui notante Siebenkeesio genuinam habeant. In Epitome tamen, ad quam idem provocat, nihil de hoc loco reperio; nisi quod ed. Bas. alio loco habeat Κανταυροι et Κανταυριος, sicut codex Casauboni. In Athenaei loco paulo ante allato (vid. observat. praecedentem) librarii scripserant κουρικαις. pro quo in editis est κιβυρικαις, quod ex Strabone correxit Schweighauserus, qui tamen, quum de pernis Cantabricis non legatur apud veteres, huic ipsi scripturae codicum Strabonianorum, Κανταβρικαις, controversiam movere aliquem posse ait in Animadvers. in Athen. l. c. p. 647, suspicarique, cum istam, tum eam, quam Athenaei vetus codex habet, ex alia quadam tertia esse corruptam. Sed nimis severe agit Vir celeberrimus, et donec istam tertiam in lucem protulerit, ea, quae aliquot codicum fide nititur, adquiescamus. Praeterea de ulterioris Hispaniae et Lusitaniae ingentibus suibus suillisque salsamentis illinc Romam missis apud Varronem de R. R. II. 14. 11 legi, supra monitum est. Paulo ante cave, cum interpretibus et Coraio post το πλεον comma ponas. Vulgata distinctio bene habet. Nam maior Cerretanorum pars Iberiam tenebat, minor Galliam, ubi nunc est Ceritania, Cerdagne. Igitur verba το πλεον του Ιβηρικου φυλου non dirimenda sunt, Cf. Cellar. O. A. p. 154.

§. 12.

201. Δια γαρ τουτων ὁ, τε Ανας Φερεται και ὁ Ταγος, —

Per hos enim, ait, Anas defertur et Tagus. Per quosnam, quaeso? Per Celtiberos, inquies. Recte, dummodo Celtiberos Auctor nominasset. Nominavit potius Celtiberiam. Igitur δια τουτων non habet, cui respondeat, et quo referatur. Quum praecesserat ἡ Κελτιβηρια, pergendum erat: δια γαρ ταυτης vel αυτης, per hanc Celtiberiam, vel Celtiberiae partem, ut Xylander callide exprimit. Guarinus vero, Graece, ut solet, ad verbum reddens: per quos, ait etc. Nisi igitur Strabonem orationis suae immemorem ità pergere statuas, ac si antea τους Κελτιβηρας nominasset, (quod, quum ita negligenter vel vitiose potius scribere non soleat, parum probabile est), reponendum utique erit, uti dixi, δια ταυτης. Nihilo secius, quo minus ita faciam, alia vetat ratio, qua exposita aut scribendum esse δια τουτου, aut δια τουτων optime valere locumque suum tueri Lector videbit. Vitium latet alibi; nam, ut breviter dicam, in iis, quae antecedunt, lacuna est. En locum, ut in omnibus et scriptis et editis legitur:

201. b. Ἡ Κελτιβηρια παραχρημα πολλη και ανωμαλος· το μεν πλεον αυτης εστι τραχυ και ποταμοκλυστον· δια γαρ τουτων ὁ τε Ανας Φερεται etc. i. e. Post Idubedam continuo Celtiberia adest, ampla regio et inaequalis s. dis aris naturae. Maior quidem eius pars aspera est et amnibus irrigua: nam per hos Anas defertur et Tagus.

Haec verba diligentius perquirenti (nam obiter percurrentem non offendunt, neque ullum interpretum offenderunt) impedimenta obiiciunt, quibus quomodo se expediat, haesitet. Celtiberiam amplam et inaequalem i. e. inaequalis et imparis naturae terram Strabo recte vocat. Nam re vera orientem et austrum versus, ubi Idubedae et Orospedae asperas et lapidosas radices continet, etiam alibi passim in planis aridis et arenosis, re vera siticulosa et sterilis est; contra vero occidentem et boream versus, ubi fluvii et plures et maiores per-

fluentes terram alluunt, fertiliores quoque felicioresque regiones exhibet. Ea est totius fere interioris Hispaniae inaequalis natura. Haec igitur ubi universim indicavit Auctor, qualem intelligi velit, definitius exponendum erat. Re vera etiam recte inci it, dum ait; Maior quidem eius pars aspera est; sed pessime adiicit: et amnibus irrigata. Haec duo sibi repugnant. Nam si amnibus bene irrigata est Celtiberia, non aspera et sterilis est, et invicem contra. Igitur inter verba τραχυ et ποταμοκλυστον desunt nonnulla, quae partim ad asperarum et sterilium, partim ad fertiliorum regionum descriptionem pertineant. Porro deesse nonnulla, ex eo quoque patet, quod in describenda Celtiberiae inaequalitate oppositionem iure exspectamus, quae non adest; το μεν πλεον αυτης εστι τραχυ alterum quidem membrum est, alterum vero, excepto fragmento finali, deest. Quin sola particula μεν oppositum aliquod et poscit et promittit, cuius fragmentum tantum, ut dixi, habemus in voce ποταμοκλυστον. Quae quum ita sint; unum versum in antiquo isto codice, ex quo ceteri manarunt, defuisse arbitror, contextum vero ita fuisse scriptum, ut lacuna sive casu sive librarii manu ornatrice, continua scriptione contracta esset; cuiusmodi elegantiae studio multos veterum scriptorum codices latentibus vitiis inquinatos esse constat, ut pluribus exposuit Siebenkees. in praefat. p. 26.

Interim non opus est Oedipo, qui lacunam expleat. Ipsa enim rerum series ita fere postulat: το μεν πλεον αυτης εστι τραχυ τε και παραλυπρον, τα δε αλλα μερη (vel τα δε ἑσπερια μερη) ευδαιμονα και ποταμοκλυστα· δια γαρ τουτων ὁ, τε Ανας Φερεται etc. Iam igitur, si Strabo ita scripserat, δια τουτων bene habet; quia vero nonnulla exciderant, vox ποταμοκλυστα, ut praecedenti τραχυ conveniret, a librario commutanda erat in ποταμοκλυστον. Attamen locus eodem sensu etiam ita refingi potest: το μεν πλεον αυτης εστι τραχυ τε και παραλυπρον, το δε αλλο μερος (το δε ἑσπεριον μερος) ευδαιμον και ποταμοκλυστον· δια γαρ τουτου ὁ τε Ανας Φερεται. Sed quum plures fluvii iique longe a se remoti has Celtiberiae regiones alluere et irrigare dicantur, τα μερη forma plurali melius conveniunt. Ceterum locus persimilis de Celtiberia maximam partem

aspera et sterili supra legitur p. 142 Cas. c. 2. §. 3: Τα μεν ουν τας μεταλλειας εχοντα χωρια, αναγκη τραχεα ειναι τε και παραλυπρα, οἱαπερ και τα τη Καρπιτανια συναπτοντα, και ετι μαλλον τοις Κελτιβηρσι Et infra §. 14: οικουντες χωραν παραλυπρον Similiter quoque V. p. 224, extr. §. 7, de Sardinia; Εστι δε αυτης το πολυ μερος τραχυ, και ουκ ειρηναιον (leg. ευδαιμον), πολυ δε και χωραν εχον ευδαιμονα τοις πασι. Et Massilienses habent χωραν σιτῳ λυπροτεραν δια την τραχυτητα, lib. IV. p. 179 Cas. c. 1. §. 5. Ceterum viam quoque, ex Iberia per Galliam in Italiam ducentem, πηλωδη και ποταμοκλυστον dicit lib. IV. p. 187 Cas. c. 1. §. 12.

202 Την αρχην εχοντες εκ της Ιβηριας· —

Lepida sane observatio, flumina Iberiae, quae in occiduum mare deferantur, in Iberia oriri! Quasi aliunde venire possint! „Nemo non intelligit, Casaubonus ait, legendum esse εκ της Κελτιβηριας." Id ipsum est, quod vult Geographus: omnia flumina, quae in Celtiberia oriantur, non aliorsum statim verti, sed Celtiberorum terram perfluere; quod verum est. Confirmari, si opus foret, haec emendatio posset simillimo loco p. 153 Cas. c. 3. §. 3: ὁ Δουριος, μακροθεν τε ῥεων παρα Νουμαντιαν και πολλας αλλας (ex. gr. Seguntiam) τας Κελτιβηρων και Ουακκαιων κατοικιας. Nec minus p. 152 Cas. c. 3. §. 1: Ῥει δε ὁ Ταγος εχων τας αρχας εκ Κελτιβηρων. Neque dissentit Coraius.

Locus prior citatus admonet me de Numantia, quae Graecis quidem scriptoribus, quantum scio, Νομαντια. non vero Νουμαντια, vocari solet, pariterque incolae οἱ Νομαντινοι Ita semper Appianus in Ibericis, Plutarchus in Tib. Gracch. c. 5 et 6; ipse etiam Strabo quater hac ipsa pagina, nec non lib. VI. pag. 287. §. 2. Diodorus quoque in Excerptis p. 241 habet: Νομαντιαν, πολιν της Κελτιβηριας Item Stephanus Byzantinus, qui tamen addit: το εθνικον Νουμαντινος λεγεται δια της ου: quod miror; nusquam enim ita scriptum inveni. In excerptis de legationibus ex Appiano in cod. Bav. (Appian. Iber. c. 79 et 80) legitur etiam οἱ Νωμαντινοι per ω, uti videbit Lector notatum a Schweigh. T. III. p. 306 et 308. Unus Ptolemaeus,

II. 6, quem semper fere Latinorum u in nominibus religiose servare constat, Νουμαντιαν habet. Haec propterea exposui, ut rationem redderem, qua motus supra p. 153 Cas. c. 3. §. 3, ubi in omnibus editis Νουμαντιαν legitur, Νομαντιαν reposui. Scilicet a vetusto sciolo, qui Numantiam rectius dici putabat, hoc mendum profectum esse arbitror.

203. Και την Σεργουντιαν —

Huius urbis nomen, quod pluribus Iberiae oppidis commune fuit, levi mendo laborat. Plinio, III. 4. 3, Arevacorum urbes enumeranti est Saguntia, quam formam Straboni quoque dudum obtulit Hermol. Barbarus, faventibus quodam modo Appiano et Plutarcho, quorum ille Civ. I. c. 110: περι Σαγουντιαν (ex bona certe correctione C. Stephani pro mendoso codd. Μογουντιαν; malim tamen Σεγουντιαν), hic in Sertor. c. 21: εν τοις των Σαγουντινων (vulgo tamen Σεγουντινων) πεδιοις proeliatum Sertorium esse scribit. Livio tamen XXXIV. 19, vocatur Seguntia Celtiberum, pro quo admodum levi discrepantia in Itin. Antonin. p. 438 legitur Segontia; et in vet. Inscript. apud Gruter. pag. 324. nr. 2, est: Atilio Segontino. Ptolemaeus II. 6, in Arevacis habet Segortiam, quae absque dubio mutanda est in Segontiam nostram. Cave tamen, cum Casaubono eiusdem Ptolemaei Σεγουντιαν, παραμικαν cognominatam, huc trahas; ea erat Vardulorum, inter Iberum et Pyrenen sita. Iam igitur, quodcumque placuerit, sive Saguntia sive Seguntia sive denique Segontia, certe eiicienda est litera r. Equidem Seguntiam, quippe vulgatae proxime accedentem, praefero. Nomen urbis non abolevit edax vetustas. Hodierna Siguenza est, inter Complutum et Caesaraugustam. In eo autem erravit Strabo, cum auctore suo, quod Durium urbem alluere dicit, a quo septem fere milliaria geogr. distat. Ita iudicare malim, quam cum Mannerto p. 399, Strabonianam Serguntiam vel Seguntiam a ceterorum Seguntia diversam statuere, oppidumque creare, quod nemo novit. Interim Cor. tenet Serguntiam.

204. Καντα βροοις τοις Κονισκοις, —

De his dictum est ad pag. 156 Cas. c. 3. §. 7. Paulo post Βαρδυαλους mutandos esse in Βαρδουλους, supra monuimus ad p. 155. c. 3. §. 7.

205. Και Διττανων. —

Dittani quinam sint quum nesciat Casaubonus, Λαιητανους sive Λεητανους ex p 159 Cas. c. 4. §. 8. substituit, quasi iam res expedita sit Dittanos enim, ait, se diligenter quaerentem nusquam reperisse. Inte iuo non satis diligenter quaesivisti, mi Casaubone. Igitur infelicissimam hanc esse coniecturam, facile ostendam. Dittanos quidem nusquam fuisse, et ego iudico; Laeetanos vero non ibi locorum fuisse, ubi nunc versamur, nempe in Celtiberia et in Orospeda monte, non minus certum est. Nimirum Ptolemaei Λαιητανοι sive Strabonis Λεητανοι, qui iidem Plinio III. 4. 3. XIV. 8. 6, et Martiali I. 27, et 50. VII. 52. Laletani vocantur, quorumque terram Laletaniam Sallust. habet in fragm. Hist. III. (licet ibi malim Laeetaniam) oram inhabitabant a Rubricato fluvio (nunc Lobregat) Pyrenen versus usque ad Blandam oppidum; cf Mentellii tabula geographica et Cellar. p. 142. Hi Laletani Livio quoque, XXI. 60, restituendi sunt pro Lacetanis; nam orsus Scipio ab Emporiis et a Laletanis totam oram (in qua nulli Lacetani) ad Iberum subigit. Iam igitur in Strabone, qui de australibus Celtiberiae accolis (Bastetanis, Oretanis, Dittanis) Orospedae montes incolentibus loquitur, pro corruptis Dittanis Laletanos sive Leetanos, quippe huic regioni prorsus alienos, neutiquam substitui posse, luce clarius est. Omnino, ut obiter moneam, in ipsis rebus et nominibus geographicis diiudicandis et emendandis saepius a vero aberrantem, certe parum accurate versantem deprehendimus Casaubonum, forte, quia operae pretium non esse putabat in examinandis et perpendendis rebus topographicis nimium terere temporis. Hinc factum esse puto, ut non raro, nimis festinanter agens, obiter potius tangat et leviter perstringat, quam subtiliter investiget et accurate perpendat. Sunt quidem talia saepissime minuta, multumque facessunt

negotii, interdum ad nauseam usque recoquenda; nihilo minus, si neglexeris, eamque, quam poscunt, curam et diligentiam impendere detrectaveris, multa erunt, quae non expedias, imo interdum impedias. Sed ne sunto haec arroganter et invidiose dicta! Excellentis viri et ingenium et doctrina tanta fuit, ut immortali eius gloriae nec laus mea aliquid addere, nec vituperium demere possit. Ego vero, fortasse nimis severe agens, nimisque operose omnia perscrutans, excutiens, colligens, ne in contrarium vitium inciderim, vereor; et vel hac sola de causa ab enucleando toto Strabone, cui olim operam meam qualemcunque dicaveram, tanto lubentius abstineo.

Dittani igitur, ut ad hos redeamus, non utique opus est, qui loco moveantur, quum οἱ Τίτθοι vel cum Schweigh. Τιτθοὶ Appiani Iber. cap. 44, 48, 50, 63 et 66, itemque Τιττοὶ Polybii Legat. 141 sive lib. XXXV. 2, edit Schweigh. fortasse etiam Deitani Contestanis confines (Plin. III c. 3. 4.), bene illos defendant. Quare dudum Ortelius, nuper vero Mannert. I. p. 401, utrumque nomen eundem significare populum statuerunt, quibus, Casauboniana emendatione deceptus, temere contradicit Schweighaus. ad Appian. Iber. c. 44. T. III. p. 255, ubi plura de Titthorum nomine allata Lector inveniet. Titthi igitur, quos fere semper cum Bellis et Arevacis, Celtiberorum populis, coniunctos legimus, Celtiberorum populus et ipsi fuerunt, austrum versus tangentes Orospedam; et in eo tantum ab Appiano et Polybio discedit Geographus, quod Dittanos suos Celtiberis ab austro facit finitimos; quem errorem, quum de Celtibericarum gentium numero et situ inter veteres geographos parum constiterit (cf. ipse Strabo infra p. 165 Cas. extr. c. 4. §. 20. Cellar. p. 126. Mannert. p. 239.), Auctori condonabimus. Nomen ipsum vero Dittanorum aut a Strabone eiusque auctore ita scriptum retineatur (quod Coraius praetulit), aut a librario deformatum, ut Appiano et Polybio Strabo conveniat, in Titthos refingatur. — Verumtamen, si qui aut Dittanorum nomen agnoscere, aut ne Titthos quidem Celtibericos, quippe hic inter Celtiberorum finitimos parum recte

nominatos, adsciscere nolint, hi utique habebunt, quod in rem suam iure proferant; et re vera horum ego partes amplector. Scilicet paulo infra p. 163 Casaub. §. 14, ubi iidem Celtiberorum finitimi australes, exceptis Dittanis s. Titttis, recensentur, praeter Bastetanos et Oretanos etiam Sidetanos s. Edetanos (de quibus cf. obs ad p. 156 Cas. c. 4. §. 1. nr. 154) Suconem fluvium et Orospedam accolentes Strabo nominat. *Μετα δε τους Κελτιβηρας προς νοτον*, ait, *εισιν οἱ το ορος οικουντες την Ορoσπεδαν, και την περι τον Σουκρωνα χωραν Σιδητανοι μεχρι Καρχηδονος, και Βαστιτανοι και Ωρητανοι, σχεδον δε τι και μεχρι Μαλακας*, Ecquis unquam vidit locum magis geminum? Quare non sine maxima veritatis specie Sidetani in locum nostrum, de quo agimus, et ubi olim se adfuisse, alta voce ipsi clamant, transferentur, quum a Dittanis pulsi iure hic desiderentur. Accedit singularis nominum similitudo facilisque librariorum lapsus; fac enim, primam syllabam Σι adhaesisse copulae *και* per compendium scriptae, restabat *δητανων*, quod in *διττανων* perfacile transire potuit. Quae quum ita sint, equidem nullus dubito, quin pulsis Dittanis Sidetani postliminio reducti Straboni sint restituendi. Quin et Plinii accedit auctoritas, qui (III c. 3. 4.) Edetanos, i. e. Sidetanos, Celtiberiam tetigisse scribit: Sucro fluvius et quondam oppidum, Contestaniae finis. Regio Edetania, ad Celtiberos recedens.

Paulo post vulgo legitur: *προς ἑω δε Ιδουβεδα*. Equidem malui: *προς ἑω δ᾽ ἡ Ιδουβεδα*. Semper enim praefixo articulo ita Strabo loquitur: *ἡ Πυρηνη, ἡ Ορoσπεδα, ἡ Ιδουβεδα*, et recte quidem.

§. 13.

206. Αυτων τε των Κελτιβηρων —

Hucusque de Celtiberorum finitimis loquutus Strabo erat, quibus nunc ipsos Celtiberos opponit. Igitur *τε* mutandum in *δε*

207. Εν τῳ Ιβηρι ἱδρυσθαι —

Urbem in fluvio sitam non memini. Imo *επι τῳ Ιβηρι* Strabo scripsit, ut de hac ipsa Caesaraugusta su-

pra p. 161 Cas. c. 4. §. 10, ad quem locum ipse provocat. Confirmant emendationem, quae Casaubono debetur et a Siebenkeesio et Coraio recepta est, omnes illius codd. Itali. Idem vitium omnes editi ostendunt in Strab. XIII. p. 614 Cas. c. 1. §. 67, ubi ante Tzschuck. legebatur τοπος εν θαλαττῃ pro επι θαλαττῃ.

208. Σταδιους επι οκτακοσιους.

Casaubonus pro επι legendum censet περι. Causam affert Antonini Itinerarium, quod a Numantia ad Caesaraugustam M. P. XCVI. (96000 passus) computet, qui efficiunt stadia septingenta sexaginta sex. Atqui integra octingenta stadia efficerent M. P C. (100000 passus). Propterea Strabonem dixisse περι, circiter. Recte ita quidem, ipsam rem si spectes Sed vulgatum επι, quod fere idem significat, bene habet, nec, cur loco a Coraio pulsum sit, video. Mallem potius, docuisset Casaubonus, επι isto sensu inusitatum fuisse veteribus, quod voluisse videtur. Non raro tamen pro περι, ὁσον, που, πως, ὡς, etiam επι de spatio usurpatur et Straboni et aliis. Pauca, quae in promtu sunt, exempla sufficiant. Strab. I. p. 100 extr. Cas. μακρος επι μυριους που σταδιους. II. p. 125: επι πεντακισχιλιους σταδιους. III. pag. 242. c. 2. §. 4: και επι ἑκατον σταδιους p. 153. c. 3. §. 3: επι οκτακοσιους σχεδον τι σταδιους. Polyb. IV. 39: εστι το μηκος εφ' ἑκατον σταδια, ad centum stadia. Similiter Polyb. IV. 41 et 63, ubi legitur: το πλατος εφ' ἑκατον σταδια, το δε μηκος περι τριακοσια. Appian. VIII. s. Pun. c. 119: επι σταδιους του μετωπου πεντε και εικοσιν, et paulo post: επι τους πεντε και εικοσι σταδιους· Interdum redundat, ut Act. Apost. c. 10. 16, επι τρις pro simplici τρις.

209. Σεγοβριγα —

Ita recte scripsit Siebenk. ex pluribus codd. Italis. Vulgo Σεγοβριδα cum Guarino, forte ex male intellecta forma του γ (S). Etiam Ptolemaeo II. 6, et cod. Reg. Paris. est Σηγοβριγα. Latini hanc nominum terminationem per c exprimere solent; quare Plinio XXXVI. 45. 22, est urbs Segobrica; idem tamen III. 4. 3, habet: caputque Celtiberiae Segobrigenses. Multarum in Hispania urbium nomina exeunt in briga, quod montem

et arcem oppidumque monti accline significans, Germanorum Berg, Burg, Graecorum πυργον exprimit. Hodie urbs ista Segorbe dicitur, ut plerique volunt. Sed contradicit Mannert. I. p. 404. Nam locus non convenit, qua de re cf. Cellar. I. pag. 127 et Mentell. Hisp. vet. p. 164.

§. 14.

210. Κωμῳδων — p.163

Ita editi ad unum omnes, quos hucusque inspexi. Cur ista omittant, non assequor, nisi quod altera editio ad alteram expressa est. Nam κωμῳδειν ex κωμος et ᾀδειν concrevisse, vel tirones sciunt. Ceterum ὁ κωμῳδων (i. e. σκωπτων) est Posidonius, Polybii dictum ironice exagitans. Guarinus vero et Xylander locum non intellexerunt. Simillimum illud Appiani est in Punicis, c. 66: Πυργοι τε παραφερονται, μιμηματα των ειλημμενων πολεων. Plura dabit Mannert. I. p. 248 ed. sec.

211. Η δια τον εκποτισμον και το ανημερον· —

Ὁ εκποτισμος, i. e. siccitas, ariditas (Xyl. male vertit: sterilitas) quam maxime suspectus, vel potius, ut statim ab initio iudicium de eo expromam, neutiquam ferendus est. Solam quidem codicum auctoritatem si respexeris, dubitabis fortasse, quippe qui ad unum omnes ita legere videantur. Id colligo ex alto editorum de ista voce silentio. Neque enim Xylander neque deinde Casaubonus, neque nuper Siebenkeesius ex Italicis codicibus ullam lectionis varietatem notavit. Solus Hopperus in edit. Bas. tacite expressit εκτοπισμον; quo tamen duce id fecerit, utrum codice quodam, an Aldina (ad cuius exemplar Hopperiana expressa est), an mera coniectura, nescio; forte felici operarum casu. Undecumque sit, unice vera est haec lectio, eamque tacite expressit Casaubonus in versione Xylandrina, sane textui suo parum convenienter; vertit enim: ob longinquitatem. Sic recte etiam Penzelius. Per se quidem et universim τον εκποτισμον s. siccitatem loco nostro non alienam esse, concedo; quin similis Strabonis locus, qui multorum Iberiae tractuum sterilitatem et

ariditatem indicat (lib. III. p. 137 Cas. init. c. 1. §. 1: *ουδε ταυτην ὁμαλως ευυδρον οικουσι την πολλην.*) favere quodammodo isti lectioni videtur; nihilo minus non ita scripsisse Geographum, id iam ibo demonstratum.

Primo ipsa vox *εκποτισμος* admodum dubiae fidei est, quippe quam lexica non agnoscant. In Suida, Hesychio, Stephani Thesauro et Scapula frustra quaeres; nisi quod Scotti Appendix, Hederici et Schneideri lexica, scilicet ex solo hoc Strabonis loco, receperint. Schneiderus tamen et ipse *εκτοπισμον* legi mavult. Ne matrem quidem habet ista vox derivata; neque enim *εκποτιζειν*, a quo derivanda foret, Graecis in usu fuit. Est itaque *ἁπαξ λεγομενη*, eaque matre orba; cuiusmodi verbis, infantium instar, quorum patres ignorantur, quantum tribuendum sit, nemo nescit. In Strabone certe, cuius amplissimum opus verbi istius vel centies repetendi ansam praebebat, nequaquam erit ferendum, nisi contextus et orationis series expresse efflagitent. At mehercules orationis series tantum abest, ut *τον εκποτισμον* efflagitet, ut potius respuat. Loci sensus paulo diligentius examinatus id facile dabit. Nimirum a priori, ut dicunt, ostensurus Geographus, Iberiam multarum non capacem esse urbium, duas adfert rationes, per duplex *ουτε* disiunctas et sibi oppositas, quarum alteram a soli sterilitate et incommoda terrarum natura, alteram ab incolarum feritate et perversa indole repetit. Prior vero ratio trifariam divisa tres quasi species continet: sterilitatem (*λυπροτητα*), longinquitatem s situm remotum (*εκτοπισμον*), agrum incultum silvisque obsitum (*ανημερον*; ut *ὑλαι ανημεραι* sunt silvae incultae et horridae; cf. Thes. Steph.). Iam fac, *τον εκτοπισμον* a Strabone vere esse scriptum, idem fere esset cum priori *λυπροτητι*: nam loca arida sunt etiam sterilia; ideoque hanc ariditatem non tamquam diversam et per particulam *ἢ* a priori distinctam rationem afferre potuisset Geographus. Porro, si quis *το ανημερον* non mecum et cum Interprete priore de agrorum silvarumque asperitate, sed cum Xyl. Casaub. et Penzelio de hominum feritate intelligere malit (quod ipsum satis bene fieri concedo; Strabo enim in eo peccavit, quod nihil certi definivit), is etiam *τον εκτοπισμον*, quippe per *και* iunctum *τῳ ανημερῳ*,

de hominibus a commercio aliorum hominum et populorum longe dissitis et alienatis intelliget, ideoque τον εκποτισμον s. siccitatem nullo modo feret. Certe enim ὁ εκποτισμος και το ανημερον de eodem dicuntur; atqui siccitas incolarum inepta foret. Igitur τον εκποτισμον, etiamsi veteribus vel maxime usitatus fuisset, hoc certe loco, sive de incolarum sive de terrarum indole intelligatur, tolerari non posse, quis est qui non videat? Quae quum ita sint, vix ullum erit dubium, quin altera, quam edit. Bas. Hopperi exhibet, lectio: η δια τον εκτοπισμον, a Strabone vere profecta sit. Supino librario, τ et π transponenti, facilior utique error fuit, quam nobis erroris expositio; quumque in antiquo isto archetypo, ex quo omnes subinde, quibus gaudemur, codices provenere, semel ita peccatum esset, omnibus codd. nostris mendum illud inhaerere, non mirandum est.

Ceterum de εκτοπισμῳ, quem et a Coraio receptum video, paucula adiiciam. Εκτοπιζειν, synonymum fere τῳ αποικιζειν, loco movere, removere, ablegare denotat; etiam intransitive, omisso ἑαυτον, discedere, migrare, peregre abire, αποικεῖν; quare Suidas explicat: μακραν καταστησαι, ποῤῥω διαγειν; etiam adiecto ἑαυτον, procul discedere, fugere, Polyb. I. 74. Igitur εκτοπισμος est remotio, situs remotus et longinquus, separatio et disiunctio locorum et hominum, το αμικτον και ανεπιπλεκτον τοις αλλοις, quo remotiores Iberiae gentes distingui Strabo dicit p. 137 Cas. c. 1. §. 1. Romani autem τους ανεπιπλεκτους αλληλοις επεπλεξαν, lib. II. p. 127, και τους αγριωτερους πολιτικως ζην εδιδαξαν. Πολλα γαρ εθνη εστι την φυσιν ανημερα δια τους τοπους τραχεις η ψυχρους etc. Utraque vox satis familiaris Diodoro et Straboni; cui etiam εθνη εκτετοπισμενα sunt populi longinque remoti, a reliquorum commercio in loca avia subducti, ut III. p. 166. c. 4. §. 20. IV. p. 201 Cas. §. 5. Ibidem Thules historiam obscuram dicit δια τον εκτοπισμον. De barbaris septemtrionalis Iberiae incolis III. p. 155 extr. c. 3. §. 7: το δυσημερον και αγριωδες συμβεβηκε και δια τον εκτοπισμον· δυσεπιμικτοι δε οντες, αποβεβληκασι το κοινωνικον και το φιλανθρωπον. Religionem Christianam Pagani incessebant tanquam νεαν και εκτε-

τοπισμενην, peregre advectam; Euseb. I. c. 2. Denique addam, Strabonem lib. IV. p. 183 Cas. init. dicere εκτοπιζειν εις μυθον, i. e. rem a vero alienatam et quasi remotam in fabulam detorquere.

212. Ὁταν πλεοναζῃ το τας ὑλας — οικουντων.

Mendum huic loco inesse manifestum est, quum articulus το nomen suum desideret. Casaubonus lacunam (si qua fuit) ita explet; το γενος των τας ὑλας etc. quae periphrasis ferri saltem potest pro οἱ οικουντες. Attamen et aliam curando loco admovere medicinam licebit. Quum in syllabis finalibus, nunc inflexis et immutatis, nunc omissis, nunc alienis additis, quin etiam duabus in unam contractis vel invicem contra, centies a librariis peccatum esse constet, demta de οικουντων ultima locus erit sanus. Nam το οικοῦν τας ὑλας, id quod silvas incolit, commode dicitur pro οἱ τας ὑλας οικουντες. Quae tamen dictio si cui paulo insolentior visa fuerit, etsi simile illud est e libro II. p. 127 C. το μεν εστιν ειρηνικον, το δε μαχιμον και ανδρικον, is legat: το τας ὑλας οικειν, quo nihil est frequentius. Casauboniana vero ista periphrasis nescio quid habeat languidi. Sed ecce! Coraius, quasi ex composito, mecum dedit το οικουν. Idem paulo post σχεδον δε τι iure mutari vult in σχεδον τι. Ista vero: τοιουτοι δ' οἱ πολλοι των Ιβηρων, in parenthesi dicta sunto, ut clarior evadat sensus.

§. 15.

213. Ἁι λιμναι πληθυουσιν, ορνεις δε, κυκνοι etc.

Hunc quoque locum qualicumque lacuna laborare, bene vidit Casaubonus. Πληθυειν enim, ut saepe etiam πληθυνειν, intransitive significat repletum esse et abundare. Iam vero illud deest, quo lacus repleti dicantur. Itaque πτηνοις vel ορνισιν ante πληθυουσιν inserit Casaubonus, quem sequitur Coraius, ut sententia sit: Sunt et lacus in Hispania, qui palustribus avibus abundent; aves autem hae sunt cycni aliaeque. Sic

alibi in Strabone: ἡ χωρα ελεφασι πληθυει, et. lib. V. p. 212 Cas. c. 1. §. 5: ἡ χωρα ποταμοις πληθυει. Ibid. p. 226. c. 2. §. 9: αἱ λιμναι τρεφουσιν οψον πολυ, και των πτηνων τα λιμναια. Sic locus bene sanatus est, nisi quod ορνεις δε κυκνοι, omisso εισιν, paulo durius dictum videatur. Quare ita quoque eodem sensu scriptum fuisse suspicari licebit: αἱ λιμναι πληθυουσιν ορνισιν· εισι δε κυκνοι etc. ut lacuna haec fuerit: ορν... εισι δε. Literae fere eaedem repetendae effecerunt, ut librarius facile duo verba in unum contraheret. Dein post ωτίδες plene interpungendum.

Sed alia quoque loci explicandi iniri poterit ratio, qua forte probata, nulla locus medicina eget. Nam πληθυειν absolute quoque significat: multum et frequentem esse; itaque verti potest: nonnullis locis lacus frequentes sunt, et aves in ipsis, olores scilicet et id genus aliae. Ita accepit uterque interpres Latinus. Quae tamen ratio an probanda sit, equidem cum Casaubono addubito. Primum enim oratio inconcinna erit, quum ορνεις δε requirat εν αυταις, quod omitti admodum durum est; deinde re vera frequentes esse in Hispania lacus, vix crediderim; qua de re, quum singularum regionum chorographiam non satis cognitam habeam, iudicium meum suspendo. Maiores certe lacus admodum ibi rari sunt.

214. Κορωνας μη μελαινας ειναι — Olim legebatur: κορωνας μελαινας ειναι, quasi aliis locis non essent nigrae. Imo Hispanienses cornices non esse nigras, dixit Posidonius. Scilicet exciderat negatio, ut Casaubonus dudum in libro Dalecampii adnotatum invenit. Merito tandem recepit Siebenkeesius, ut paulo post μεταχθωσιν pro vulg. μετατεθωσιν; illud vero omnes veteres libri et Casauboni et Siebenkeesii, nec non Epitome, exhibent. p. 164

215. Συχνη δε και των εκτος.

Haec vulgata omnium editionum lectio omnibus quoque veteribus libris inhaerere videtur. Oram Hispaniae citerioris, ait, abundare fructibus quoque extra columnas nascentibus. Sed quaenam sint hae

plantae sive fructus (τα εκτος), praeter modo nominatos orae exteriori peculiariter proprii, vix aliquis dixerit. Merito itaque verba suspecta sibi esse, margini adscripsit Casaubonus, licet corrigere non tentaverit. Nam in commentario de illis ne verbum quidem. Nihilo minus Siebenkeesius Casaubonum legere affirmat: συχνη δε και ἡ εκτος; quod unde habeat, miror. Forte in eo erravit, quod Xylandri emendationem in edit. Almelov. receptam Casaubono tribuerit, quae tamen et ipsa parum recte transcripta est. Nam Xylander: συχνη δε και ἡ εντος. Praeterea pro ἡ μεν παρωκεανιτις, quae verba continuo sequuntur, mavult: ἡ δε παρωκεανιτις. Neutrum recte. Nam de interiori Hispania paulo infra demum sermo erit inde a verbis: ἡ δ' αλλη Ιβηρια το πλεον etc. Hic autem oram Iberiae occidentalem sive extra Columnas porrectam oceanoque obiectam (την εκτος) a Strabone designari, vel ipsa vis oppositi satis declarat. Sed ἡ εντος eadem foret, quae ἡ καθ' ἡμας παραλια. Praeterea exterioris orae dives fructuum proventus silentio non erat praetereundus. Optime itaque, quicumque fuit, locum ita restituit: συχνη δε και ἡ εκτος, sc. Ιβηρικη παραλια. Ego tamen, ne vox συχνη obiecto suo careat, vulgatamque diligentius servans malim: συχνη δε και αυτων (dictorum fructuum) ἡ εκτος, large instructa illis est exterior quoque ora. Nam συχνος h. l. est copiosus, dives, abundans, ut ουσια συχνη in Aristophanis Pluto. Bene haec conveniunt supra dictis p. 137 Cas. c. 1. §. 1: ἡ νοτιος πασα ευδαιμων σχεδον τι, και διαφεροντως ἡ εξω στηλων. Iam in sequentibus: ἡ μεν παρωκεανιτις etc. nihil mutandum esse, per se satis liquet. Denuo enim orae boreali interiores Iberiae partes opponuntur, quare particula μεν locum suum iure tuetur. Coraius dedit μέντοι; saltem malim μέν τοι. Ceterum iam vetus Interpres locum ex cod. suo recte vertit: et exterius litus frequens est. Male autem Xylander ex sua mutatione: multum etiam nascitur in mediterraneis; quod a Sieb. correctum video, licet hic vulgatam male conservarit. Coraius a vulg. non discedit.

§. 16.

216. Πανοικι τε χορευειν και παννυχιζειν. —

Codices Casaub. et Italici apud Siebenkees. aliquot exhibent πανοικιους τε; sensu plane eodem. Nam πανοικὶ (Act. Apost. 16, 34) et πανοικεὶ, nec minus πανοικιᾳ et πανοικεσιᾳ est: cum tota domo sive familia, ὅλῳ οικῳ, ut Suidas explicat. Similis analogia est in voce πανεθνεὶ, i. e. cum toto populo. Strab. V. pag. 213 Cas. c. 1. §. 6. Idem significant adiectiva (quibus Stephani et Scapulae lexica ditari poterunt) πανοικιος et πανοικος. Diodor. Sic. V. p. 300 (208), cap. 20: απᾶραι πανοικιους εις νησον. Dionys. Halic. I. 56. 28: κατακλυσθεις πανοικιος απολλυται. Ipse Strabo IV. p. 194 Cas. c. 3. §. 5: αυτοι δε κατεδυνον εις τα βαθη πανοικιοι. Similiter p. 196. c. 4. §. 2: μαλλον δ᾽ εκ πανοικιων εξαιροντων; ubi malim: δε πανοικιων. Lib. VI. p. 252 Cas. c. 1. §. 1: εμβαντας εις τα σκαφη πανοικιους. Lib. XIV. p. 671. c. 4. §. 7: ενεπρησεν ἑαυτον πανοικιον; quo loco Salmas. in Solin. p. 563 temere substituit πανοικει. Porro Philo Iud. Leg. ad Cai. p. 1000: ὁ Μακρων πανοικιος ἱερευετο; et p. 1014: πανοικιος το ἱερον ἡμων εκοσμησε. Iam ego quidem (nam Casaubonus nil mutat) Straboni hoc quoque loco hanc vocem vindico, legendumque censeo πανοικιους χορευειν, omisso τε, quod h. l. alienum et incommodum est, quum nihil antecedat sequaturve, quod τῳ πανοικι vel πανοικιους iungi vel opponi queat. Neque magis ad χορευειν referre licet particulam, ut explicemus: non solum χορευειν, sed etiam παννυχιζειν. Tunc enim dicendum Geographo fuerat: χορευειν τε και παννυχιζειν. Ex duabus finalibus vocis praecedentis πανοικιοΥΣ parum distincte scriptis, particula τε facile oriri poterat; qua semel orta, deletoque ο inutili, legebatur πανοικι τε. — Aliam viam, qua textum menda purgaret, Coraius ingressus est, post τινι θεῳ inserens θυειν, quo facto copula τε locum suum bene tuetur. Optime et ita loco consuli fateor, nisi quod parum credibile fortasse dixeris, gentes istas Deo ne nomine quidem noto sacra fecisse, eaque noctu instituisse more prorsus insolito. Interim quum illud τε omnes libros scriptos obsideat, et verbum

θυειν ob praecedens simile intercidere facile potuerit, ipse nunc Coraianam rationem praefero, ita tamen, ut Lectori liberam faciam optionem. Similia Aegyptiorum sacra ab Herodoto descripta Lector meminerit, lib. II. c. 47 et 48. Aethiopes quoque habebant θεον θνητον ανωνυμον τινα, referente Strab. XVII. pag. 822 Cas. c. 2. §. 3.

Paulo infra pessime legitur μανιαν ὑπολαβοντες pro μ. ὑπολαβοντας, operarum peccato ex Aldina, puto, per recentiores propagato. Recte interim legitur in ed. Casaub. secunda, nuncque in Coraiana.

217. Τυμπανιον περιχεισθαι —

De vestimentis corpori circumdatis περιχεισθαι dici dubito; saltem exempla desidero. Quare Coraius, praeeuntibus Epit. Hopp. et Xylandro, scriptum dedit περικεισθαι, quod longe praefero, ita tamen, ut mulieres pro orationis subiecto, το τυμπανιον vero pro obiecto habeam. Phrasis enim Graecis bene usitata est: εγω περικειμαι ἱματιον, ὑποδηματα, δαφνην, ξιφος, etc. sicque h. l. αἱ γυναικες περικεισθαι το τυμπανιον dicuntur.

218. Προς δε τῃ αληθειᾳ τῃ τοιαυτῃ πολλα και ἑωραται και μεμυθευται. —

Loci sensus planus est: Praeter ea, quae vera sunt, multa quoque eiusdem farinae de Iberis fabulose narrantur. Primum igitur pro τῃ τοιαυτῃ, quod de veritate parum recte dicitur et valde languet, scripsisse Nostrum suspicor τοιαυτα, ut referatur ad πολλα. Sed magis offendit verbum ἑωραται, iam olim Casaubono suspectum minimeque ferendum. Quid, quaeso, hoc sibi vult: Multa quoque visa et fabulose tradita sunt? Quae re verà visa sunt, ea non pro fabulis habenda. Nihilo minus omnes scripti in vulg. conspirare videntur, neque discedit Epitome. Breguignii ergo coniecturam, ἱστορεῖται proponentis (malim tamen ἱστόρηται, ne a tempore perfecto recedamus), licet nec ipsam plane satisfacientem, non reiicio, donec alius vir me sagacior, nisi genuinam, certe probabiliorem lectionem proposuerit. Nam ἱστορεισθαι, quum universim investigare et narrare significet, non satis contra-

rium est τῃ αληθειᾳ, quae et ipsa investigatur et narratur; ideoque saltem otiosum est et languet. Quare ita potius accipio, ut oppositum sit τῳ μεμυθευσθαι et dictum cum emphasi: in historicorum et geographorum libris traditur, scriptum invenitur; μεμυθευται vero, fabulose fingitur εψευσμενον τεθρυλληται. Ceterum Casaubonus aliquando pro αληθειᾳ legendum censebat αηθειᾳ, quod valde miror; ipse tamen errori huic renuntiasse videtur. Siebenkeesium vero, qui vulgatum ἑώραται (pro quo sub textu temere scripsit ἑωρᾶται) retineri vult, non intelligo. Omnino, ut obiter moneam, huius viri licet egregia plurimum codicum ope adiuti de textu Strabonis subtiliter disquirendo et emendando, de lectionis varietate rite diiudicanda, deque interpretum emendationibus et coniecturis sive textui accommodandis sive reiiciendis haud magni aestumanda sunt merita. Nimis festinans laborisque impatiens brevissime quidem, at parum subtiliter egit. Tanto magis doctissimo et subtilissimo Tzschuckio, qui post illius obitum opus inceptum (quod ab initio suscepisset vellem!) continuavit et feliciter paene ad finem perduxit, ut ingenii atque doctrinae, ita diligentiae et solertiae egregia debetur laus. — His dudum scriptis, nunc ecce! a Coraio meliora edoceor. Re vera εὕρηκας, mi Coray κριτικωτατε, pro ἑωραται reponens ἑυρηται; multa enim excogitari s. fingi et fabulose dein narrari de Iberis, satis bene a Strabone dici potuit. Etiam in τῃ τοιαυτῃ emendandis mecum concinentem Te habere me, gaudeo. Quod vero, quae continuo sequuntur: οὐ μονον τα etc. praecedentibus annectis, ad quae neutiquam pertinent, in hoc me concinentem non habes Tecum. Vel solum illud δε, quod immerito pepulisti, novam sententiam indicat, cuius praedicatum est θηριωδη sc. εστι. Simillime de eadem re Iustinus (lib. LXIV. c. 2): feris propiora, ait, quam hominibus ingenia gerunt.

§. 17.

219. Εις μεθυσκόμενους, —

Siebenkeesio haec vox valde suspecta fuit; at sine causa. Sunt enim, ut bene explicat Penzelius, inebriati Romani, qui captivum Hispanum arcessi iusserant, (ut olim Philistaei Simsonem, Iudic. 16. 25) quem ioci causa ludibriis laederent.

p. 165 220. Κοινα δε και τα προς ανδρειαν, την τε των ανδρων και την των γυναικων. —

Vulgo legitur: και προς ανδρειαν. Sed inserendum esse articulum, recte monuit Casaubonus. Τα προς ανδρειαν ea sunt, quae virtutem et fortitudinem demonstrant, ut paulo supra Strabo dicebat: ου μονον δε τα προς την ανδριαν. Sed aliud est, quo hic locus laborare videtur. Nempe fortitudinem non solum mulierum sed virorum quoque Ibericis gentibus cum Celtis aliisque barbaris communem dici, admodum miror. Primum enim virorum ανδρεια non est, quae praecipua admiratione efferatur, neque ferarum modo gentium sed humaniorum quoque et politiorum propria. Tum vero, virorum ανδρεια prorsus omissa, solam mulierum exemplis protinus Auctor illustrat. Hae enim, pergit, agros colunt, viris, ubi pepererunt, ministrant, quin inter operandum pariunt. At de viris ne verbum quidem. Quare virorum ανδρεια h. l. prorsus aliena videtur, verbaque ista: την τε των ανδρων και a mala manu profecta esse nullus dubito, et locus ita potius legendus erit: κοινα δε και τα προς ανδρειαν την των γυναικων. Cetera vanum librarii aut glossatoris additamentum videntur, qui την ανδρειαν praeprimis virorum esse memor, virorumque mentionem omissam aegre ferens, verba ista excidisse iisque restitutis bene de scriptore suo se meruisse putabat. Quodsi nihilo secius vulgatam lectionem a Strabone profectam esse contenderis, id saltem concedes, non ita scribere debuisse Strabonem, quum virorum ανδρεια nec mira sit, nec ullo deinde verbo illustretur.

221. Εν τε τοις εργοις πολλακις αὑται και λουουσι —

Inter opus faciendum, ait, hae saepe infantes lavant et involvunt. Nihil maius si praestiterunt Ibericae mulieres, sane vix digna erat earum fortitudo et durities, quae Threïssarum Scythidumque duritiei compararetur; neque profecto est, quod nostri aevi nostrarumque gentium mulieres Ibericis postponantur. Quantum enim hoc rei est? Inter operandum infantes lavantes, involventes mammisque admoventes, nonne quotidie conspicimus mulierculas nostras? Rus te conferas, mi Geographe; et innumera tibi offerentur exempla. — Sed id Strabonem voluisse, nec quicquam amplius, mihi quidem persuaderi nequit; Scilicet summa res, qua Ibericarum mulierum durities praecipue commonstranda erat, et sequenti narratione re vera commonstratur, omissa est, nimirum quod inter opera rustica partu oppressae, paululum secedentes ad amnem pariunt. Quare post αὑται excidisse puto aut τικτουσι aut τεκουσαι; forte copula και, qua h. l. non opus est, vocis amissae τεκουσαι fragmentum est, qua restituta exspectationi lectoris satis fit, neque id ipsum desideratur, quod sequens de Ligure muliere narratio et poscit et confirmat, quodque similiter aliorum scriptorum narratiunculae tanquam rem prorsus admirabilem declarant. Igitur locum ita lego: πολλακις αὑται τικτουσι και λουουσι; vel, si malueris, ita: πολλακις αὑται τεκουσαι λουουσι etc. Iucundum fortasse erit nonnullis, si aliorum similia quaedam apposuero. De eadem Ligustica femina Diod. Sic. lib. IV. c. 20. p. 227 Rhod. (158) eadem fere, quae Strabo, narrat ex Posidonio; inter alia: Εγκυος γαρ ουσα και μετα των ανδρων εργαζομενη μισθου, μεταξυ συνεχομενη ταις ωδισιν, απηλθεν εις τινας θαμνους αθορυβως. Similiter Aristot. Mirab. c. 93: αἱ γυναικες (των Λιγυστικων) ἁμα εργαζομεναι τικτουσιν, και το παιδιον ὑδατι περικλυσασαι, παραχρημα σκαπτουσι και σκαλλουσιν. Clemens Alex. Strom. lib. IV. p. 498 ed. Sylb.: Οιδα και τας πλησιον της Ιβηριας γυναικας (Celtarum, Ligurum ipsorumque Iberorum) εργῳ και πονῳ χρωμενας ανδρικῳ. Καν προς το αποκυειν γενωνται, ουδε ανιεισας των πρακτεων· αλλ᾽ εν αυτῃ πολλακις τῃ ἁμιλλῃ των πονων ἡ γυνη αποκυησασα, το βρεφος ανελομενη οικαδε φερει. Varro de r. r. II. c. 10, 9:

In Illyrico praegnantem saepe vidi, quum venit pariendi tempus, non longe ab opere discedere, ibique enixam puerum referre, quem non peperisse sed invenisse putes. Aelian. de Animal. VII. 12: Ἁι των Αιγυπτιων γυναικες την ωδινα απολυσασαι (partu defunctae) και εξαναστασαι, των εργων εχονται των κατα την οικιαν. Recentioris vero aevi exempla in scriptis Lector inveniet a Beckmanno laudatis ad Aristot. l. c. p. 190, quibus adde Ephemer. Tubing. (Morgenblatt) 1814, nr. 289, nec non Barlaei Hist. Brasil. p. 72.

222. Και αφιησι, —

Attendat Lector orationem inde ab ὅτι μισθωσαιτο per optativos procedentem, neque dubitabit, hic quoque eadem forma Strabonem scripsisse αφειη. Neque Coraium hoc latuisse nunc video.

223. Ὡστε και μισθους αρνυσθαι· και μυοθηρουντες —

Si ipsi Romani mercede accepta muribus captandis operam dedere, textus bene sanus est. Sin autem, quod certe verisimilius, mercede proposita alios (nempe Cantabros), ut mures venarentur, conduxere, textus in mendo cubat. Nam αρνυσθαι non est mercedem proponere, sed auferre, merere, accipere, quod uno verbo dicitur μισθαρνειν, μισθοφορειν. Igitur si cum Xylandro et Penzelio, Xylandrum exprimente, Romanos Cantabrorum agrestes et murium venatores mercede conduxisse arbitreris, aut pro αρνυσθαι legendum erit προθεσθαι, aut, quod equidem malim, ita corrigendum: ὥστε και μισθους αρνυμενοι οἱ μυοθηρουντες — διεσωζοντο μολις. Et διασωζοντο voce media vim haberet activam, ut apud Xenoph. Paed. IV. c. 3: πολυ δ' ετι μειζον το λαβοντα διασωσασθαι; et aliquanto ante: τα πλειστον αξια ελαμβανον ὡς διασωσομενοι. Interim quum omnes codd. et Guarinus (qui vertit: ut accepta mercede mures venarentur, et salutem vix assequerentur) vulgatam, quae et ipsa bonum sensum praebet, tueantur, nihil mutandum esse, διασωζεσθαι vero passive sumendum censeo, quod etiam Bocharto in Hieroz. I. lib. 3. c. 34 placuisse video; sicque murium venatores ipsi Romanorum milites fuerunt. Ita et Co-

raius locum interpretari videtur, quem tamen, nulla urgente necessitate, ita mutatum dat: ὥστε και μισθους αρνυσθαι, μυοθηρουντας προς μετρον αποδειχθεν· και διεσωζοντο μολις. Praeterea haec mutatio Xylandrinam quoque interpretationem admittit.

Sed voci μυοθηρουντες leve vitium librariorum culpa adhaesit. Male enim illa servat aliarum vocum analogiam, quae a θηρα et θηραω derivatae sunt. Scilicet sicut Graeci dicebant ιχθυοθηρας, λαγωθηρας, μυιοθηρας, οινοθηρας, ορνιθοθηρας etc., ita quoque ab his vocibus derivata habebant verba in αω desinentia, ut ορνιθοθηραω, ιχθυοθηραω, et quae sunt alia. Eandem analogiam etiam in μυοθηραω illos servasse, admodum est probabile; quo concesso μυοθηραντες cum ω Strabonem scripsisse credimus, ducta voce a μυοθηρας, murium venator, quem legi video in Aristot. Hist. animal. lib. IX et in Eustathio. Mecum sentientem habeo Scapulam, qui non μυοθηρεω, sed μυοθηραω e Strabone recepit. Ceterum verbum hocce ἁπαξ λεγομενον esse videtur, quum lexica aut non agnoscant (ut Hesych. Suid. Thes. Stephani), aut ex hoc demum Strabonis usu receperint (Scapula, Scotti Append. Schneid.); quo facilius librarius aberrare poterat. Ipsum vero Strabonem istam neglexisse analogiam, equidem vix persuadeor.

224. Και αλλων σπανις. —

Vulgo in editis est: και ἁλῶν σπανις, et salis inopia; — quae licet a loci natura non aliena sit, tamen, quum omnes scripti, tum Casauboniani tum Italici et Guarini habeant: και των αλλων, praetereaque ipsius Strabonis testimonio Hispania sale abundet, merito haec lectio a Siebenk. et Cor. in textum recepta est, nisi quod omisso articulo expressum sit και αλλων, ut codd. Italici habent.

225. Εκ της Ακουϊτανιας.

Ita in codd. legi, et Casaub. et Siebenk. testantur. In editis tamen est Ακυϊτανιας. Utrumque idem valet, quum Romanorum Qui a Graecis modo per κουϊ, modo per κυϊ, interdum etiam per simplex κυ (ut in Ακυληϊα, Strab. II. p. 123 Cas. IV. p. 208. 214, et saepius) exprimi soleat. Strabonem vero semper Ακουϊτανια scri-

psisse, valde dubito, quum in nominibus barbaris scribendis non semper eandem normam secutus esse nec ipse secum consensisse videatur. Quare etiam hanc vocem modo per ουϊ. modo per υϊ scribit, qua de re adi librum quartum. Itaque ex codicum fide modo hoc modo illud retinendum erit. Neque ceteri scriptores conveniunt. Ptolemaeus II. 7, habet Ακουϊτανια, Appian. Civ. V. 92 et Dio Cass. XXXIX. 46 et LIII. 12. Ακυΐτανια. Quo magis Coraii rationem vitupero, talia ad eandem semper formam revocantis.

226. Κληρονομους αποδεικνυσθαι —

In Mss. Cas. Reg. Ven. legitur απολειπεσθαι, quam lectionem, parum abest, quin cum Casaubono praeferendam existimem, quum ex veterum de extremis voluntatibus formulis tanquam vox solennis hac in re nota sit. Sed non minus bene vulgata ferri potest; quare retinui.

227. Εχει γαρ τινα γυναικοκρασιαν —

Est utique, quod τη γυναικοκρασια paululum offendamur, quum ad analogiam της ακρασιας et ευκρασιας formata, ideoque a κεραω, misceo, derivata esse videatur. Itaque γυναικοκρατιαν potius, vel γυναικοκρατειαν a Strabone scriptum fuisse fortasse suspicaberis. Sed ne festinanter agas; vulgatam non est quod damnemus. Vetat Plutarchus, cuius duplici auctoritate ista vox defenditur. In Cleomene, c. 33: της βασιλειας, ait, εις γυναικοκρασιαν εκπεσουσης. De audiend. poet. c. 4: ανθρωπους μαλακιαν και γυναικοκρασιαν αγαπωντας. Attici vocem ita inflexere, iudicante Schneidero.

228. Ιβηρικον δε και το εν εθει παρατιθεσθαι τοξικον.

Verba ista: εν εθει, diu me vexaverunt, necdum, quid censeam, certus sum. Tanto magis Casaubonum et Coraium in illis non haesisse, demiror. Quid enim, quaeso, istud est: Ibericum s. Iberici moris est, de more toxicum apponere? Nihilo minus omnes scripti et editi constanter ita habent. Soli Xylandro verba suspecta fuerunt, cuius tamen infelicem coniecturam: εν ετει

(quasi quotannis vitam finire opus foret) non est, quod curemus. Vetus Interpres: Hispanum et illud est, ut de more toxicum apponatur. Xylandrina versio plane omittit, ita exhibens: Hispanici quoque moris (Ιβηρικον) est, toxicum proponere. Similiter Penzelius. Scilicet id erat facillimum. Certe si abessent verba εν εϑει, nihil desideraremus; neque merum glossema scioli cuiusdam, το Ιβηρικον explicantis, esse dubitarem, si non et alieno loco inserta et τῳ Ιβηρικον male accommodata essent. Quodsi ita haberemus: Ιβηρικον δε εϑος, vel: Ιβηρικῳ δ' εν εϑει, vel etiam: Ιβηρων δ' εν εϑει το π. τ. facile adquiesceremus; sed ita textum mutare et verba transponere timeo. Praeterea una vox εϑει potius vitiosa mihi videtur. Modo respicias verborum seriem: το εν εϑει παρατιϑεσϑαι. Nonne vasculi nomen, quo venenum asservabatur, aut temporis, quo apponebatur, sub isto εϑει latere probabile Tibi erit? Iam vero, quodnam sit, interrogabis. Id ipsum est, quod non satis scio. Utrum forte εν δεπαϊ? an εν δειπνῳ? an vero εν ἑστιασει? Videntur enim Iberi in epulis apposuisse toxicum suum, saltem ostentationis causa. Ita certe Mannertus I. p. 280 ex hoc ipso Strabonis loco tradit. Tu vero, si meliora habes, in lucem proferas quaeso, ut hariolationibus meis reiectis, Tuo frui ingenio possim. Interim in textu meo scribam εν δειπνῳ. Coraius quomodo vulgatam explicet, nondum scio. Ceterum de apii petroselini et cicutae similitudine, res nota. Cf. Pausan. in Phoc. s. lib. X. c. 17.

229. Ὡστε αποϑνησκειν αυτους ὑπερ ἑαυτων.

Lepida sane narratio, homines istos duci suo devotos, pro se ipsis morti se dare. Nihilo minus omnes, quantum scio, editi nulla ex codd. allata lectionis varietate exhibent ὑπερ ἑαυτων. Neque Casaubonus quicquam monet. Interpretes tamen, Strabonis mentem recte exprimentes: pro iis mortem oppetunt. Scilicet pro ἑαυτων legendum esse αὐτων vel εκεινων, quis est quem fugiat? Coraii ὑφ' ἑαυτων non satis intelligo. De re ipsa qui plura cupit, is adeat Plutarch. Sertor. c. 14. Dion. Cass. LIII. c. 20. Valer. Max. II.

6. 11. Caes. bell. Gall. III. 22. VI. 15. Athen. Deipn. VI. c. 12. p. 249 (c. 54. p. 455 ed. Bip.) Tacit. Germ. c. 14. Sueton. Calig. c. 14 et 27. Conferantur etiam Mem. de l' acad. des Inscript. T. V. p. 344 ed. Hag. Schlegel ad Banierum, T. I. annot. 706. Cilano Antiq. Rom. II. p. 335. Spanhem. ad Aristoph. Plut. v. 660. Lips. Antiq. Lect. V, 8. Ritter. ad Guthr. Hist. univers. V. 3. p. 24.

§. 18.

230. Εις δυο μερη διηρεισθαι —

Non in duas sed quatuor potius partes Celtiberiam divisam esse, supra docuit Geographus p. 162 Cas. c. 4, §. 13, ad quem locum ipse adeo provocat, dum addit: καθαπερ ειπομεν. Verba eius sunt: Αυτων δε Κελτιβηρων εις τεσσαρα μερη διηρημενων, ex quibus liquido patet, hic quoque eum scripsisse: εις δ΄ μερη, ut dudum vidit Casaubonus, qui: Imperitus, ait, aut aliud agens librarius qui primus hunc locum corrupit, ex δ΄ fecit δυο, quod genus mendi non uno loco in hoc infelici scriptore deprehendimus." Ceterum in Siebenkeesiana editione numeri nota, ut in contextu ita in annotatione, prorsus omissa excusum est εις μερη; editor tamen voluisse videtur εις δ΄ μερη. Denique nec illud praetermittendum, in omnibus editis, qui ad manum sunt, exaratum legi διηρεῖσθαι, quam perfecti formam grammatica respuit. Scribendum potius διηρῆσθαι. Lepidum est, recte ita citari a Casaubono in commentario, quum tamen in ipso textu vitiosum sit. Scilicet ex mente recte adscribebat Casaubonus, vitiose autem excusum erat in exemplo, quod prelo deinde subiiciebatur. Ita mendum Casaubono non observatum recentioribus mansit. Plane eadem res infra recurrit p. 166 Cas. extr. in voce πρωτερον, ubi in commentario recte προτερον.

231. Μιμουνται μεν τους Ἑλληνας, αλλ᾽ ουκ επιπολυ. —

p.166 Romanorum scriptores imitantur quidem Graecos, sed non adeo multum s. non admodum. Admodum

languere et obscure dicta esse haec ultima *ουκ επιπολυ*, nemo, puto, negabit. Guarinus vertit: at vero non multum; Xyl. sed intra modum. Quaeritur, quanam re imitati sint? Paulo ante notaverat Auctor Graecorum loquacitatem; cuius quidem si modici fuerint imitatores Romani, laude potius quam vituperio digni videntur. Atqui graviter eos castigat, quod, quaecumque habeant, ex Graecis transtulerint, nec multum de suo adferant studii. Itaque reprehendit, non laudat. Quae quum ita sint, non tam id vitio dare Romanis Strabo videtur, quod Graeculorum imitentur loquacitatem (cuius culpam re vera numquam contraxerunt), quam id potius, quod, quum universim in enarrandis rebus gestis et describendis orbis terrarum populis Graecorum scriptores imitentur, parum hac in re feliciter versati, nec exempla sua assecuti sint, quippe qui ulterius indagando novi quicquam afferre, vitia a loquacibus Graecis commissa corrigere horumque defectus explere parum studuerint. Igitur Romanorum scriptores imitantur quidem illi Graecos, *αλλ᾽ ουκ επιπολυ*, (rectius *επὶ πολὺ*) i. e. non multum proficientes, parum feliciter aemulantes. Sed, uti diximus, satis incommode mentem suam Strabo expressit, et verba ista non sine suspicione dimittimus. Nam *μιμεισθαι τινα, αλλ᾽ ουκ επιπολυ*, imitari aliquem, sed non adeo multum, pro: imitando non assequi, mira certe, ne dicam insulsa videtur dictio. Si legeretur: *ουκ επιτυχως*, vel *ουκ επιτυχουσι*, id ipsum esset, quod orationis series poscere videtur. Sed doctiores meliora forte videbunt.

232. *Προσφερονται το Φιλειδημον.* —

Ita Siebenk. optime dedit ex cod. Bemb. et felicissima Casauboni coniectura. Vulgata lectio *το φιλοδημον*, etiamsi cum Guarino male vertas: suae nationis studium, quum sit potius plebis studium et popularitas, mirum quantum huic loco aliena est, unde olim Xylandro merito suspecta; nec minus Schotto, qui in Observ. human. III. c. 35 tentavit *φιλοδαιμον*, Daemonum amans (quod quid hic sibi velit, equidem non assequor), vel *το φιλοδικον*, i. e. contentendi et vin-

cendi studium, quod ne magis Graecis quam Romanis proprium fuerit vereor. Sed ipse Schottus bene vidit, magnum illum Criticum ευστοχια praevertisse.

Aliam praeterea lectionem, eamque minime contemnendam nonnulli suggerunt codd. Italici apud Sieb. (Stroz. Vat. A. B.) exhibentes το φιλεκδημον, in quod et ipse incidit Casaubonus. Φιλεκδημος tamen h. l. non esset peregrinandi cupidus, ut apud Nostrum lib. I. p. 36 Cas. de Homero, et l. II. p. 101 extr. de Eudoxo explicatur, sed potius rerum exterarum s. peregrinarum cupidus et curiosus, φιλος των εκδημων, quae significatio etiam locis modo laudatis non male convenit. Nihilo minus το φιλειδημον, i. e. indagandi et cognoscendi studium, longe praeferendum esse ingenue fateor, quum id ipsum sit, quod in Romanorum scriptoribus desiderari affirmat Geographus. Hos enim rerum exterarum parum curiosos parum ex se ipsis habere, nec multa afferre, quibus Graecorum scriptorum lacunae expleri possint. Ceterum utramque vocem coniungens Strabo utrumque in Homero laudat I. l. c. ubi ait: Προστιθητι (ita leg. cum Cas. pro vulg. προστιθησιν) ουν τουτῳ. και το φιλειδημον και το φιλεκδημον του ποιητου. Eodem libro pag. 19 Cas, init. de fabularum dulcedine loquens: φιλειδημων γαρ ὁ ανθρωπος; et paulo post: τουτο δ᾽ αυτο, το καινον, εστι και το ποιουν φιλειδημονα. Iam itaque, si quidem loci sensum modo expositum recte assecutus sum, omnia optime cohaerent, et in ceteris verbis nihil erit, quod mutatum velim, nisi quod particula μεν valde offendat. Attamen Casaubonus, qua ratione ductus nescio, ita legendum suspicatur: Εξ ἑαυτων δ᾽ ου πολυ· μονον δε προσφερονται το φιλειδημον i. e. ex semet non multum (sc. εχουσι, quae ellipsis dura est), solam afferunt cognoscendi cupiditatem. Haec infelicissima mutatio tantum abest, ut sit emendatio, ut potius depravatio, quippe Strabonis menti cummaxime contraria. Hic enim indagandi et cognoscendi studium Romanis abiudicat, ille vindicat; quod quo iure, nimirum ad mentem Strabonis, fecerit, equidem non video; nisi forte το φιλειδημον intetpretatus sit novarum rerum cupiditatem, quae tamen et ipsa non tam cadit in Romanos quam

Graeculos, neque certe, si vel maxime cadat, huic loco convenit. Novarum enim rerum curiosi inquirendi et cognoscendi solent esse cupidi. His rite perpensis vulgatam lectionem Straboni vindicandam censeo: εξ ἑαυτων δ᾽ ου πολυ μεν προσφερονται το φιλειδημον; neque aliter Coraius dedit, nisi quod voculam μεν pro spuria habet, et mavult προφερονται in proleg. σελ. ξε. Neutrum probo, etsi rectius legatur μην. Ceterum vox φιλειδημων an praeter Strabonem in aliis scriptoribus legatur dubito. Stephanus eam non habet nisi in Appendice, Scottus ex solo Strabone. — Paulo ante pro vulg. ὁσα δε δη Coraius optime ὁσα δε και, i. e. quaecumque vero insuper a Graecis longe absunt, etc.

§. 19.

233. Ιβηριαν — — καλεισθαι πασαν —

Supplendum est φασι, sed longe repetendum ex initio §. 18: εις δ᾽ μερη διηρησθαι φασι; quod quam durum sit, quum satis multa postea disputata sint, neminem latet. Excidisse potius videtur verbum φασι ante πασαν, cuius vocis similitudo somniculosum librarium obcaecavit.

234. Και Ἱσπανιαν μονην εκαλουν την εντος του Ιβηρος. —

Ita omnes habent editi. Sed, attende Lector, Casaubonus ait, verba haec; facile intelliges, deesse hic aliquid, et hoc aut simili modo esse legendum: την αυτην Ιβηριαν λεγουσι και Ἱσπανιαν· οἱδ᾽ Ιβηριαν μονην εκαλουν." Excidisse hic aliquot verba, Vir summus recte animadvertit; unde factum est, ut ista verba: και Ἱσπανιαν iungerentur sequentibus, totusque locus non luxaretur tantum, sed alienissimum quoque sensum praeberet. Nam falsissimum est, Hispaniam eam tantum acceptam, quae est cis Iberum. Iberia potius haec regio antiquitus dicta fuit, ut modo ipse Strabo multique alii scriptores indicant; Hispaniae vero nomen trans Iberum ortum, australes peninsulae Pyrenaeae partes primitus insigniebat. Accedit, quod Geographus idem fere, quod nunc dixit, paulo post re-

petens, rectam loci sanandi rationem ipse monstrat. Et re vera bene sanavit Casaubonus, nisi quod unam vocem desidero, quam ea, quae continuo sequuntur: *οἱ δ᾽ ετι προτερον, αυτους τουτους Ιγλητας*, utique poscunt. Scilicet *οἱ δ᾽ ετι προτερον* (quasi dicas prioribus priores, die noch Früheren) opponuntur *τοις προτερον*, den Früheren, hi vero *τοις νυν*. Certe itaque Strabo scripsit: *οἱ δε προτερον Ιβηριαν μονην εκαλουν*. Ita ipsa etiam rei veritas postulat; non dicendum erat Straboni, ab aliis (*οἱ δε*) Iberiam vocari, quae citra Iberum est, sed ab antiquioribus olim ita vocatam fuisse, quod est verissimum. Coraius presse sequitur Casaubonum.

Scilicet antiquissimis temporibus, quum peninsula Pyrenaea nullodum communi nomine comprehenderetur, sed singulae partes ex singulis gentibus vocarentur (cuiusmodi erant Tartessii, Cynetes sive Cynesii, Igletes, Vascones, Iberi) regio Iberum fluvium adiacens ab Igletibus nomen traxit. Deinde ubi longe amplior Iberorum natio invaluit, Igletum nomen evanuit, et omnis ora maritima inde a Rhodano ad fretum usque Gaditanum Iberiae nomine comprehensa est. Iam Iberiae nomen Graeciae quoque antiquis scriptoribus, ut Herodoto, Scylaci, Herodoro aliisque, innotescere coepit, sed valde vagum diu mansit et incertum. Paulatim vero Galliae ora exclusa a Pyrenaeis montibus Iberia arctius finiri et rectius constitui coepta est, donec Romanorum aetate Hispaniae sive Spaniae quoque nomen, olim a Phoenicibus et Carthaginensibus inventum et primitus regionibus maxime ad meridiem vergentibus a cuniculorum copia inditum, increbruit, ita ut omnis subinde Peninsula Graecis atque Romanis et Iberia et Spania sive Hispania promiscue appellaretur. Haec sufficiant, ut Strabonis hic de variis Iberiae nominibus locus classicus recte et constituatur et intelligatur. Sed de Igletum nomine, quod Casaubonus impugnavit, pauca addenda sunt. Nulla quidem, quantum sciam, huius nominis apud alios mentio fit. Quare *Γλητας* mavult Casaubonus, quos Stephanus Byz. nominat: *Γλητες, εθνος Ιβηρικον*. Coniecturam firmare videtur fragmentum Ste-

phani de Iberia a Constant. Porphyr. servatum in libro de Administrat. Imper. II. cap. 23; quod quum plura contineat haud spernenda, Vossius descripsit in Observ. ad Mel. II. 6. p. 741; reperitur etiam in Steph. Byz. Fragmentis a Berkelio collectis p. 48. Illud igitur fragmentum locum ex Herodori, de quo adeundus Vossius de Hist. Graecis, III. p. 374 et Heynius ad Apollod. III. p. 984, quemque ad Theophrasti aetatem Ionsium II. 2. 5, referre ex Heynii notis addisco, ex Herodori, inquam, historia Herculis continet, quem, quum miram auctoris, ut omnino antiquiorum Graecorum Iberiae inscitiam prodat, hic adscribere iuvat. *Ιβηριαν δε εις πολλα Φασι εθνη διαιρεισθαι, καθαπερ Ἡροδωρος εν τῃ δεκατῃ των καθ᾽ Ἡρακλεα γεγραΦεν ἱστοριᾳ, οὑτως. Το δε Ιβηρικον γενος τουτο, ὁπερ Φημι οικειν τα παραλια του διαπλου, διωρισται ονομασιν, ἑν γενος εον, κατα Φυλα. Πρωτον μεν οἱ επι τοις εσχατοις οικουντες τα προς δυσμεων Κυνητες ονομαζονται.* (Hactenus bene omnia) *Απ᾽ εκεινων δε ηδη προς βορεαν ιοντι Γλητες, μετα δε Ταρτησιοι, μετα δε Ελβυσινιοι, μετα δε Μαστιηνοι, μετα δε Καλπιανοι, επειτα δε ηδη ὁ Ῥοδανος.* Gletes Herodori procul dubio iidem sunt, qui Igletes Strabonis, sed ab Herodoro male edocto, nec non a Theopompo, ad Tartessidem usque reiecti, quum tamen ex Asclepiadis in ipsa Hispania melius edocti sententia circa Iberum sedes habuerint. Deinde omnes, quae sequuntur, gentes Cynetibus a septemtrione, i. e. in Lusitania collocat, statimque post eas adest Rhodanus. Egregia utique Iberiae descriptio! Sed non est, quod Herodori et Stephani Gletes cum Casaubono Straboni obtrudamus, quod dudum improbavit Holstenius in Not. ad Stephanum p. 86, Gletes et Igletes eosdem fuisse affirmans. Similiter apud eundem Stephanum et Gnetes et Ignetes in Rhodo insula idem nomen est; et Deram oppidum Iberiae Fest. Avien. in ora marit. v. 475, Ideram vocat. In multis enim nominibus, praesertim Iberiae, vocalem i modo praefigi modo demi, Vossius monet ad Mel. II. c. 6. p. 746. Quin, ipse propemodum Iberus amnis exemplo est, cuius circa fontes accolae fuerunt Berones, quasi Iberones. Retinemus itaque Strabonis *Ιγλητας*, qui in omnibus libris leguntur;

quae gens regiones citra Iberum antiquitus inhabitans, interiecto subinde tempore ipsis Iberis commista nomen suum amisit. Fortasse tamen huius nominis nonnihil a Romanis deflexi et Latinitate donati reliquias sub Indigetum s. Ινδικητων nomine (quorum supra p. 156 et 160 Cas. c. 4. §. 1 et 8 Strabo mentionem fecit) deprehendere liceat; quorum sedes Iberum inter et Pyrenen fuerunt. Similiter Ignetes sive Gnetes in Rhodo insula iidem sunt, qui Γνησιοι seu ιθαγενεις, i. e. indigenae.

Paulo infra pro Καστωνος leg. Κασταλωνος. Vid. ad c. 2. §. 3. nr. 35. Et pro συν αὐτῳ leg. συν αὑτῳ, secum. Antea απ᾿ αυτου Cor. bene mutavit in ὑπ᾿ αυτου.

235. Δικαιοδοτης ων.

Hanc editorum librorum satis bonam lectionem non foret, quod loco moveremus, nisi Casauboni et Italici aliquot codices apud Sieb. elegantiorem suppeditarent, uno verbo legentes δικαιοδοτησων. Elegantiorem dicimus, quippe arctius sese applicantem antecedenti πεμπεται. Nempe mittitur legatus, ius dicturus s. qui ius dicat. Confirmatur lectio ab ipso Strabone, qui paulo infra p. 167 Cas. §. 20, de eadem re eandem vocem repetens: ὁ ἡγεμων. ait, διαχειμαζει εν τοις επιθαλαττιοις μερεσι, δικαιοδοτῶν. Et lib. XI. p. 501 Cas. c. 3. §. 6: ὁ δε δευτερος δικαιοδοτεῖ. Similem ex Theophili Institut. paraphrasi locum Casaubonus affert: ὁ ὑπατος δικαιοδοτῶν και τεμνων τας δικας. In Plutarcho quoque et Synesio vocem istam occurrere, Stephanus in Thesauro monet. Scil. in Plut. libello: cum princip. philos. esse disser. c. 4: δικαιοδοτῶν, νομοθετῶν, κολαζων. Addit Friedemannus *) locum Diod. Excerpt. de Virt. et Vit. T. II. p. 608 Wess. δια το μηδεμιαν Ῥωμαϊκην αρχην δικαιοδοτειν. Δικαιοδοτην vero et ipsum Strabo nominat lib. XVII. p. 797 Cas. cap. 1. §. 12, quem in Aegypto iura reddidisse narrat.

*) In commentario in Strabonem, cuius pars prima nunc ipsum ad me perfertur.

§. 20.

236. Ἡν οἱ μεν προτερον Λυσιτανους ελεγον, —

Locus de mendo suspectus Casaubono; cuius tamen sententiae eo minus adstipulamur, quum, quid mendi intelligat, omni, si quam habemus, sagacitate ne divinare quidem possimus. Re vera enim (nisi quod operarum vitio πρωτερον cum ω excusum et per recentiores editiones propagatum sit) omni mendo locus caret. Neque in verbis neque in re, quam Auctor tradit, equidem ullum mendi vestigium expiscari valeo. Olim enim Lusitanis annumeratos fuisse, qui Strabonis aetate Gallaeci vocabantur, quis est, quem offendat? Idem supra Strabo exposuit p. 152 Cas. c. 3. §. 2: και νυν ηδη τους πλειστους των Λυσιτανων Καλλαϊκους καλεισθαι παρεσκευασαν. Neque ipsum Casaubonum offendit, qui ad istum locum recte de hac re monuit. An fortasse offendebat ἡν — Λυσιτανους? Sed similiter supra c. 3. §. 3: ἡ Λυσιτανια, μεγιστη των Ιβηρικων εθνων. Ita saepius.

237. Τα προσαρκτια ορη —

Mss. Casaub. Stroz. A. Venet. μερη. Male. Nam p.167
regiones septemtrionales attingere Gallaecos, qui et ipsi maxime sunt versus septemtrionem, paene absurdum est. Confirmatur quoque vulgata iis, quae deinde sequuntur: Της δ' ἑξης παρορειας, (Cor. male dedit παραλιας) μεχρι Πυρηνης, ubi continuatam istorum montium seriem usque ad Pyrenen habemus. Nihilo minus apud Coraium τα μερη invenio, qui paulo post etiam αποτερω servat pro απωτερω.

238. Ὁ δευτερος των πρεσβευτων μετα του ἑτερου ταγματος.

Imo του τριτου ταγματος. Primus enim legatus secum habuit δυο ταγματα, duas legiones, igitur secundus tertiam. Quare, si lectionem genuinam habemus, το ἑτερον ταγμα erit: reliqua i. e. tertia legio. Sed quum το ἑτερον ταγμα duobus prioribus opponatur, certe admodum negligenter Strabo loquutus est. Numerandum potius erat. Ceterum, quum verbum desit, unde geniti-

vus της παροριας pendeat, videat Lector, an legendum sit: ὁ δευτερος αρχει των πρεσβευτων.

239. Λεγομενων ὡς αν ειρηνικων, — Coraius optime inseruit Τογατων ante ὡς αν ειρ. quae ipsa verba vocem aliquam olim praecessisse docent, cuius interpretationi inserviunt. Atqui Togatos istos Iberos apellatos esse, ipse Auctor supra exposuit c. 2. §. 14: λεγονται Τογατοι. Simillima dicendi ratio, particula ὡς αν adhibita, supra adfuit p. 160 Cas. c. 4. §. 9 et p. 161. c. 4. §. 11: τῳ Σπαρταρίῳ ὡς αν Σχοινουντι καλουμενῳ πεδιῳ, et: πολις Πομπελων ὡς αν Πομπηϊοπολις. Praeterea simillimus Dionis locus est lib. XLVI. extr. de Gallia Togata: Εκαλειτο δε εκεινη μεν Τογατα, ὁτι ειρηνικωτερα παρα τας αλλας εδοκει ειναι.

CAPUT QUINTUM.

§. 1.

240. Prima statim huius sectionis periodus duo exhibet vitia, quae nulli editorum animadversa esse demiror. Omnes scilicet, quibus utor, editi ita habent: *Των δε προκειμενων νησων της Ιβηριας, τας μεν Πιτυουσας δυο, και τας Γυμνησιας δυο, καλουσι Βαλεριδας* (*καλουσι δε Βαλεαριδας* Sieb.), *ἁς προκεισθαι συμβαινει* etc.

Primo Βαλεριδας male scribitur pro Βαλεαριδας, quod recte habet Siebenkeesius, saltem in contextu; nam in nota contextui subiecta expressum est Βαλεριδας; an sphalmate typothetae, dubito. Vitiosa haecce nominis scriptura sine dubio ex codicibus divulgata est, quorum nonnullos etiam alio Strabonis loco, lib. XIV. p. 654 Cas. c. 2. §. 10, ita aberrare adnotavit Tzschuckius. Ne quis tamen Βαλεριδας quoque veteribus in usu fuisse opinetur, monendum est, apud alios scriptores et Graecos et Romanos harum insularum nomen semper legi Βαλεαριδες vel Βαλιαριδες, vel etiam, ut Agathem. I, 5, Βαλεαριαι, et Baleares, sicuti incolarum nomen Βαλεαρεῖς vel Βαλιαρεῖς, vel etiam apud Diodor. Sic. V. c. 17. p. 206, *απο του βαλλειν* perperam derivantem, cui adstipulatur Isidorus, Orig. XIV. 6, Βαλλιαρεῖς cum λ duplici. Praeterea vera, quam Bochartus docuit in Phaleg. III. c. 7. p. 190 (167) et in Chan. I. c. 35. p. 703 (634), nominis ex lingua Phoenicia derivatio aperte demonstrat, *το α* elidi non potuisse. Nam compositum est nomen ex בעל ירה, Baaljaroh vel jareh, et proprie significat magi-

strum sive peritum iaculandi lapides vel tela, eum in modum, quo Genes. 49. v. 23 בעלי חצים Baale-chitsim dicuntur magistri sagittarum; de quo loquendi usu cf. Gesenius in Lex. Hebr. s. v. בעל, et in grammat. Hebr. §. 111. De altero nomine Γυμνησιαι id tantum monere liceat, ita plerumque scribi per η et a Strabone et a plerisque, etsi interdum quoque vocentur Γυμνασιαι per α, ut ipsi Nostro XIV. l. c. saltem in aliquot codd. Itidem Gymnasias habent Plin. III. 11. 5. Lycophr. v. 634 et Aristot. Mirab. c. 89. Similiter libros variare in Diodor. V. c. 17, Tzschuckius monet.

Sed, quod maioris utique momenti est, tota periodus, ut vulgo legitur, luxata est, et sensum dat falsissimum. Nempe τας Πιτυουσας, ait, και τας Γυμνησιας καλουσι Βαλεαριδας, i. e. Pityusas et Gymnesias appellant Balearidas. Imo solas Gymnesias hoc nomen tulisse, nemo est qui nesciat, neque profecto nesciit Geographus. Omnes enim Veteres (excepto Solino, Polyh. c. 23, qui Ebusum Balearibus adnumerat) Gymnesias sive Balearides a Pityusis distinguunt, nominatim Diodorus, Livius, Plinius, Mela, Ptolemaeus, Agathemerus, Dionys. Periegetes cum Eustathio, Aethicus, Isidorus, qui duas tantummodo Baleares agnoscunt, et Pityusis plerique opponunt. Festus Avienus, ora marit. v. 467 sqq. unam adeo Gymnesiam agnoscit, quo fallitur; sunt enim duae, Maior et Minor, sive Maiorica et Minorica. Unum ergo Strabonem, huius rei notissimae inscium, ceteris contradicere, ecquis credat? Imo et ipsum Strabonem solas Gymnesias Baleares dici velle, alio loco (XIV. p. 654 Cas. c. 2. §. 10) satis clare indicat, ubi: φασι δε, ait, τους Γυμνητας (i. e. leviter armatos, funditores, iaculatores, Baale-iaroh, Baale-chitsim) ὑπο Φοινικων Βαλεαρεῖς (ita legendum cum Casaubono ex Polyb. III. 33 et Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 457 pro vulgato Βαλεαριδας) λεγεσθαι· διοτι (ita vulgo, et recte quidem, pro quo Tzschuckius ex cod. Medic. perperam dedit δια το) τας γυμνασιας βαλεαριδας λεχθηναι, i. e. propterea exercitationes corporis balearidas vocitatas esse. Ultima tamen verba equidem (vulgata enim scriptura mirum exhibet sensum) ita interpretor: διοτι τας Γυμνασιας (insulas) Βαλεαριδας λεχθηναι, i. e. propterea

Gymnasias insulas Balearidas vocitatas esse, quō nihil est verius. Hoc igitur loco, etiam ex vulgata lectione et interpretatione, veram causam Strabo explicat, cur Gymnasiarum et Balearium nomen idem valeat, licet ipsum etymon ex Phoenicia lingua derivandum ei ignotum sit. Id vero satis patet, Baleares ei esse solas Gymnasias. Igitur locus, in quo explicando versamur, aperte corruptus est. Sensisse foedam hancce corruptelam, vel potius verae lectionis vestigium servasse videntur codices Vaticani A et B, nec non Siebenkeesius, quorum illi post καλουσι bene inserunt και, hic vero inserit δε ex comment. Casauboni, ut verba καλουσι και (vel δε) Βαλεαριδας non tam praecedentibus iungenda, quam parenthesi includenda sint. Sed ne sic quidem loco eximitur scrupulus, quum parenthesis et ad Pityusas et ad Gymnasias communiter referenda sit, mendumque illud maneat. Nihilo minus perfacilis est loci medicina, qua adhibita omnis difficultas sublata et genuina Geographi mens erit expressa. Scilicet unum illud ἁς, quod pessime legitur ante προκεισθαι, transponendum est ante καλουσι, ubi excidit. Iam locum ita legimus: Τας μεν Πιτυουσας δυο, και τας Γυμνησιας δυο, ἁς καλουσι Βαλεαριδας (vel cum codd. Vat. ἁς καλουσι και Βαλεαριδας), προκεισθαι συμβαινει etc. Sensus igitur est: Pityusas duas, et Gymnasias duas, quas (sc. Gymnasias) etiam Balearidas vocant, orae maritimae obversae iacent. Haec Strabonis vera ceterisque scriptoribus (Eustath. ad Perieg. l. c.: εκληθησαν δε ποτε και Βαλιαριδες αἱ τοιαυται νησοι) congrua mens est, neque aliter scribere potuit. Sed somnolentus librarius ἁς ante καλουσι omittebat, ultimas autem vocis Βαλεαριδας literas duplicabat, cuiusmodi exempla sat multa vidimus. Verum loci sensum optime expressit vetus Interpres, qui sive ex codice suo sive ex propria et tacita emendatione ita vertit: quae Baleares appellantur. Contra versio Xylandrina, quam servavit Sieb. pessime ita: Pityusas et Gymnasias Balearidas appellant; neque aliter Penzelius. Etiam Wernsdorfius, qui summa doctrina egregie instructum et uberrima antiquitatis copia exornatum libellum de Antiquitatibus Balearicis

contexuit, ad corruptum Strabonis contextum et ipse p. 13 rem suam male expedit.

241. Ἑβδομηκοντα διεχει σταδιους — Numerum adeo exiguum Strabonem dedisse semper mirabar, quum intervallum re vera multo longius sit; quo facilior fui in recipienda Coraii emendatione: διακοσιους ἑβδομηκοντα, qui numerus et veritati optime convenit, et Plinio (III. c. 11, 5.) 30 milliaria s. 240 stadia exhibenti. Adstipulari Coraio Gossellinum, nunc a Fried. edoceor. De numero σό prior litera antecedenti ὡς adhaesisse sicque periisse videtur, ut 70 fierent ex 270.

§. 2.

p.168 242. ἐξοτου Φοινικες κατεσχον τας νησους. Οὑτοι δε και ενδυσαι λεγονται πρωτοι τους ανθρωπους χιτωνας πλατυσημους. Αζωστοι δ' επι τους αγωνας εξηεσαν.

Hunc locum satis perverse expresserunt Interpretes (Guarinus, Xylander, Penzelius), a vera Auctoris mente, si quid video, longe aberrantes. Silet Casaubonus. Xylander et Penzelius ita vertunt: ex quo tempore Phoenices eas insulas occuparunt. Hi primi hominum feruntur gestasse tunicas late praetextas. In pugnam exeunt discincti, etc. Guarinus, paulo callidius mentem suam ambigua verborum conversione abscondens, ita: quod, ut fama est, ex quo Phoenices insularum potiti sunt, egregie exercuerunt. Hi primi mortales latum clavum induisse feruntur, ad pugnas discincti erumpunt.

Igitur Baleares latum clavum sive tunicas laticlavias primi invenerunt et alios homines gestare docuerunt? Baleares, inquam, qui ab omni cultu et vestium ornatu alienissimi, quippe homines feri, silvestres et vere barbarici, hieme horrida sisyrna circumdati, aestate fere nudi et discalceati incedebant (Diod. Sic. V. c. 17. pag. 206, 297 Rhod. Lycophr. Cass. v. 634 sqq. Flor. III. 8. Liv. Epit. 60), hi Baleares vestes laticlavias aliisve signis eleganter exornatas invenisse, aliosque populos docuisse (πρωτοι ενδυσαι τους ανθρωπους) creduntur? Et quosnam fuisse hos

putabimus? Utrum Phoenices et Carthaginenses? An Romanos? An denique Iberos? Talia qui crediderit, hunc ego male sanum proclamo. Neque profecto Strabo credidit, neque affirmavit, quanquam omnes eius interpretes ita velint. Etiam Wernsdorf. in Antiq. Bal. c. 6. p. 81, Strabonem illud affirmantem inducit, etiamsi de rei ipsius veritate iure dubitet, et omni opera et ingenti doctrinae supellectile, falsam istam de Balearibus opinionem ex errore quodam et alius scriptoris male a Strabone intellecti loco exortam esse, evincere studeat. Sed, ut libere pronuntiem, nugari mihi videtur Vir doctissimus, cuius sententiam per longas ambages ductam, fortasse ob nimiam doctrinae molem, vix assequi potui. Ceterum Strabonis locus olim etiam Eustathio male intellectus est, qui ad Dionys. Perieg. v. 457, Straboni haec sublegens: *Οἱ δε εν Γυμνησιαις*, ait, *ανθρωποι πρωτοι πλατυσημους χιτωνας εφευρον.* Igitur ante Romanos quoque, quos inde a Numae temporibus vestes clavatas et praetextas gestasse notum est? Cf. Rubenius de re vest. I. c. 6 et 12.

Iam igitur, ut Straboni succurratur, Balearibus vero immeritus, quo tam diu gavisi sunt, honos derogetur, aliam loci Straboniani interpretationem, a ceterorum interpretum ratione discedentem tentabimus. Videamus, quo ipsius Auctoris verba ducant; qui, ubi Baleares fundis iaculandi arte excellere dixit, e.. quo tempore Phoenices et Carthaginenses (utrosque enim *των Φοινικων* appellatione h. l. comprehendere videtur) insulas istas tenuerint, continuo subiicit: *οὗτοι δε και ενδυσαι λεγονται πρωτοι τους ανθρωπους χιτωνας πλατυσημους.* Quaeritur, quinam sint illi *οὗτοι*? Omnes interpretes, velut pronominis demonstrativi vim et usum obliti fuerint, ad Baleares referunt, quod non minus lex grammatica vetat, quam ipsa res. Phoenices potius intelligo, qui primi *τους ανθρωπους* i. e. homines istos Balearicos vestes clavatas purpuraque praetextas, et omnino vestes cultiores ornatioresque conficere docuerunt. Duo igitur Phoenices Poenique Balearibus praestaverunt; alterum, quod artem fundis iaculandi perfectiorem redderent, alterum (attende illud *δε και*),

quod vestes ornatiores ad aliorum hominnm cultum gestare docerent; quod neminem, puto, offendet. Nam Phoenices quoque et Carthaginenses vestes clavatas purpuraque praetextas gestasse, non per se solum verisimillimum est, sed veterum quoque testimoniis confirmatur. De Phoenicum vestibus laticlaviis luculentus testis est Herodian. V. c. 5, 7. Cf. Tertullian de pallio, c. 1. De sacerdotibus Gaditani Herculis Sil. Ital. III. v. 26 ita habet: Discinctis mos thura dare, atque e lege parentum (i. e. Phoenicum) sacrificam lato vestem distinguere clavo. Similiter sacerdotes Saturni Carthagine tunicas purpura praetextas vel laticlavias gestasse auctor est Tertull. de pall. c. 4. Hebraeorum quoque Scribis et Pharisaeis easdem tribuit Epiphan. I. Haeres. 15. Etiam Hispaniae australis populos vestium clavatorum purpuraque exornatarum usum a Phoenicibus et Poenis antiquitus accepisse, perquam probabile est. Nam in Hannibalis exercitu Iberi erant κεκοσμημενοι λινοις περιπορφυροις χιτωνισκοις κατα τα πατρια, auctore Polyb. III. 114, quod repetit Liv. XXII. 46: Hispani linteis praetextis purpura tunicis constiterant. Mauri quoque (Strab. XVII. p. 828 Cas. c. 3. §. 7.) πλατυσημους χιτωνας gestare solebant, sive Poenos imitati, sive ipsi (non enim erant adeo barbari, ut ornatiores vestes non amarent) praetextarum vestium inventores. Interim nec primi invenisse, nec alios docuisse dicuntur.

Iam vero, ut ad locum Strabonianum redeamus, de iisdem οὑτοις statim addit: αζωστοι δ᾽ επι τους αγωνας εξηεσαν; quae verba, ut omnia, quae deinceps sequuntur, de Balearibus dici, certissimum est. Ergo hic haeremus; hic, inquam, non in οὑτοις. Videndum tamen, quomodo expediamur. Ante vero nostrum ducimus, excusare bonos interpretes, qui hac necessitate coacti Balearibus tribuerunt, quod Phoenices sibi vindicant. Illi enim, quia de contextus Straboniani sinceritate dubitare non ausi sunt, re vera aliter non potuerunt; nos interim dubitare audemus, et contextum mutilum quam Auctorem ineptientem habere malumus. Atqui mutilum esse Strabonem, plura sunt, quae arguant. Primum ipsa inepta sententia, quae

Baleares lati clavi inventores pronuntiat, Strabone prorsus indigna, cuiusque origo ex mendo qualicumque repetenda esse videtur. Deinde mirum est, Auctorem de Balearium vestitu, excepto fragmento Phileteo obiter inserto, ne verbum quidem dicere, quum in ceterorum populorum Ibericorum vestitu describendo satis multus sit; atque eo magis illud mirum, quo faciliorem lati clavi a Phoenicibus accepti mentio ansam dabat, de prisco Balearibus proprio vestitu ex Polybio, Posidonio, Asclepiade Myrleano, Artemidoro, Nicolao Damasceno, Lycophrone aliisve scriptoribus pauca adiiciendi. Tum vero oratio male contexta aperte lacunam prodit post verbum πλατυσημους. Nam attendat Lector, quam inepte haec cohaereant: Hi etiam dicuntur primi induisse homines tunicis laticlaviis. Discincti vero exibant in proelia; et paulo infra: A pueris ita funda exercebantur, ut non aliter panis daretur, etc. Unde, quaeso, tam subito tempus imperfectum? εξηεσαν, ησκουντο, εδιδοσαν? Quando igitur ita faciebant? Tempus hoc imperfectum nonne requirit tempus et factum aliquod praecedens, ad quod referatur? Tale vero nullum reperimus. Hanc imperfecti inconvenientiam et orationis male procedentis duritiem et quasi hiatum senserunt interpretes, dum omnes, nodum ense solventes, tempus praesens callide substituunt, quod menti Strabonis repugnat, non sui aevi vestitum et mores Balearium exponentis, sed priscos prisci cuiusdam, et illius quidem aevi, quod Phoenicum et Poenorum ad insulas istas accessum proxime anteibat et sequebatur. Olim verba ista: οὑτοι — — πλατυσημους, ut de Phoenicibus intelligantur, parentheseos signo a sequentibus separanda esse putavi; sed hoc remedio non omnis difficultas tollitur. Manet enim, quam modo exposui, orationis inconcinnitas et sententiarum hiatus. Paulo supra quidem praecesserat: και τουτ᾽ ησκησαν i. e. et hanc artem exercuerunt; sed illud est tempus absolute perfectum, remque exprimit per se plane absolutam, cui sequentia εξηεσαν, ησκουντο, εδιδοσαν neutiquam respondent.

Haec paulo subtilius exponenda erant, ut suspicionem meam de lacuna ante verba αζωστοι δε επι τους

αγωνας εξῃεσαν existente argumentis firmarem. Exciderunt, puto, aliquot versus, qui Balearium priscum et quotidianum vestitum exponebant, antequam hi a Phoenicibus et Poenis cultiores vestes et latum clavum gestare discerent. In his vero versibus Baleares erant orationis subiectum, ita ut praecedentibus οὗτοις (Phoenicibus) distincte opponerentur; postea vero, vestibus eorum descriptis, de armis et more pugnandi expositurus Auctor commode ita pergebat: αζωστοι δ' επι τους αγωνας εξῄεσαν. Verba ipsa, quae exciderunt, expiscari nequeo (nam non sum Oedipus); interim ad hunc fere modum scripsisse Geographum credibile est: Προτερον μεν γαρ οἱ Βαλεαρεις γυμνοι, η ευτελει ἱματιῳ χρωμενοι, χειμωνος δε και την σισυρναν διετελουν αμπεχομενοι· αζωστοι δ' επι τους αγωνας εξῄεσαν. Comparationi inserviant Diod. Sic. l. c. Νησοι ονομαζομεναι Γυμνησιαι, δια το τους ενοικουντας γυμνους της εσθητος βιουν κατα την του θερους ὡραν. Liv. Epit. 60: Baleares, quas Graeci Gymnasias appellant, quia aestatem nudi exigant. Lycophr. Cass. l. c.:

> Οἱ δ' αμφικλυστους χοιραδας Γυμνασιας
> Σισυρνοδυται καρκινοι πεπλευκοτες
> Αχλαινον αμπρευσουσι νηλιπον βιον.
> Alii circumflua saxa Gymnasia
> Sisyrna induti cancri navigantes
> Sine laena trahent discalceatam vitam.

Quicumque meminerit, quot lacunis praeter cetera menda Strabonis libri, praecipue vero priores, laborent, quarum sat multae continua scriptione in veteribus libris absconditae haud facile deprehendantur (qua de re vide, quae supra dicta sunt ad c. 4. §. 12. nr. 201), huic ut audacior aut captandis hariolationibus intentior videar, non metuo.

243. Σφενδονας δε — — — εζωσμενου μελαγκρανιος —

Vexatissimum hunc locum satis bene restituerunt Salmasius ad Solin. p. 262 et Tyrwhittus in Coniect. in Strab. p. 14. Nonnulla tamen posteris reliquere monenda. Totus locus in editis mendose ita legitur:

Σφενδονας δε περι τῃ κεφαλῃ τρεις μελαγκραινας, σχοινου ειδος, ἐξ οὗ πλεκεται τα σχοινια· και Φιλητας τε εν Ερμενειᾳ.

Λευγαλεος δε χιτων πεπινωμενος· αμφι δ᾽ αραιῃ
Ιξὺς ειλειται κομμα μελαγκραϊνον,

ὡς σχοινῳ εζωσμενῳ μελαγκραινας, η τριχινας etc.

Primum legendum cum Salmasio est τρεις μελαγκρανίας, non vero cum Coraio μελαγκρανίνας; deinde in fragmento Phileteo κομμα μελαγκράνιον. Inter plures iunci, quae veteribus memorantur, species una est, quae μελαγκρανὶς vocabatur, quod in summitate semen ferebat nigrum, δια το μελανα τον καρπον εχειν, ut ait Theophr. Hist. plant. IV. c. 13. Plinius lib. XXI. 69. 18: Tria: inquit, genera iunci; — — — ferentis semen nigrum, quem melancranin vocant. Hesychius: Μελαγκρανις, οξυ σχοινος, ἡ τα ακρα μελανιζουσα. Cf. quoque Dioscor. Mat. med. IV. c. 52. 42. Hic itaque iuncus modo ὁ σχοινος μελαγκρανίας, modo ἡ σχοινος μελαγκρανὶς et μελαγκράνη dicebatur. Inde adiectivum μελαγκράνιος, quod ex iunco melancrano factum est; itaque σφενδοναι μελαγκράνιαι, fundae plexae e iunco melancrano.

Deinde, quae sequuntur: σχοινου ειδος — μελαγκραινας, pro scholio habenda et in marginem reiicienda esse censet Tyrwhittus et post eum Siebenkeesius; quid, quod Coraius, iudicium severe exsequens, re vera eiecit. Mihi secus videtur. Certe priora illa usque ad finem fragmenti Philetei a Strabonis manu sunt, explicantis obscuriorem vocem μελαγκρανιας. Id recte vidit Casaubonus; quia, inquiens, non omnes sciunt, quid sit μελαγκραινα (dicere debebat μελαγκρανις), ex qua ait fieri fundas Balearium, ideo addit eius vocis explicationem σχοινου ειδος; quam insuper firmat exemplo e Phileta petito. Sed σχοινου ειδος non habet, ad quod referatur, quum μελαγκρανίας adiectivum sit. Itaque ante σχοινου excidisse videtur μελαγκρανὶς, quam vocem praeeunte Tyrwhitto textui reddo. Ceterum locum, de quo agitur, parentheseos signis (non vero uncis, quasi esset spurius) includendum esse, nemo non videt.

Restat iudicium de ultimis: ὡς σχοινῳ εζωσμενῳ μελαγκραινας. Ex his, uti vulgo leguntur, vix sensum extricabimus, nisi antea ex quatuor Mss. Italicis (et Par. 1. 3. Mosc. ap. Fried.) cum Siebenkeesio et Ca-

saubono reposuerimus εζωσμενον, et pro μελαγκραιναι (quam vocem Tyrwhittus omnino delet) legerimus μελαγκρανίας vel μελαγκρανίῳ vel μελαγκρανίᾳ, ut sensus sit: quasi ille (de quo poeta agit) dicatur cinctus iunco melancranio, vel potius funiculo (nam pro σχοινῳ malim cum Casaub. σχοινιῳ) melancranio. Sed vel sic verba languent et adhaerent tanquam inutile pondus, nec dubito, quin sciolo glossatori originem debeant, qui το κομμα μελαγκρανιον satis inscite de funiculo iunceo, quo Balearis pro zona uteretur, interpretatus est. Nam postquam explicuerat Strabo melancranin, explicationemque auctoritate Philetae firmaverat, nil amplius erat adiiciendum. Quare verba ista a textu removenda, saltem ut suspecta uncis includenda existimo. Ceterum in edit. Sieb. legitur μελαγκρανίς, quod non capio. Denique interpretatio Xylandrina: scilicet quod scirpeis uterentur amiculis " graecis parum respondet, estque falsissima.

Iam vero Philetae versus dispiciamus, qui et ipsi nonnulla, quae moneantur, admittunt. Primum operis titulum lege Ἑρμηνειᾳ, ut recte iam habuit ed. Bas. Hopperi pro Ἑρμενειᾳ, quod nil nisi vitium typothetae est, ex editt. Casaubb. per recentiores propagatum. Suspectus olim fuit titulus Xylandro; Tyrwhittus quoque libenter legeret Ἑρμῃ vel Ἑρμῃ Ἐλεγειᾳ, quum Philetas Ἑρμῃ citetur a Parthenio, Erot. c. 2. Fuit scilicet Philetas Cous, qui sub Alexandro M. floruit, grammaticus et poeta, (Φιλητᾶς ποιητης ἁμα και κριτικος, Strab. XIV. p. 657 Cas. c. 2. §. 19, ubi cf. Tzschuck.) cuius praecipue Ατακτα sive ατακτοι γλωσσαι, i. e. miscellae glossae, de quibus cf. Wolfius in Proleg. ad Hom. p. 196, nec non Epigrammata, elegiae et alia, teste Suida, laudantur. Voces antiquiores et obscuriores interpretatus erat et in Ατακτοις et in Ἑρμηνειᾳ, i. e. interpretatione s. Interprete: Utrumque opus versibus conscripserat. Igitur non est, quod hunc operis titulum damnemus, ad quem insuper alludere videtur Antig. Carystius, Mirab. cap. 8, qui de cacto Sicula sermonem faciens subiicit: ὁθεν ὁ Φιλητᾶς εξηγησατο περι αυτης. Attamen nec Parthenio fidem equidem derogaverim, operisque titulum fuisse ῃ/ Ἑρμῆς, libenter concedo, quem nonnulli deinde, salvo

sensu, in Ἑρμηνειαν mutasse videntur. Alteri autem Tyrwhitti coniecturae: Ἑρμη Ἐλεγεια, eo minus adstipulor, quo minus ambo huius operis fragmenta, quae in Strabone et Antigono legimus, ad carminis elegiaci naturam accedere videntur. Plura de Phileta eiusque scriptis qui cupit, is adeat praeter Voss. de Hist. Gr. III. p. 401, et Fabric. et Harles. Bibl. Gr. locis pluribus, imprimis Philetae Fragmenta, quae collegit et edidit C. Ph. Kayserus, Prof. Heidelb.

Iam de versibus Philetae pauca Tecum, mi Kaysere! Olim quum inter almae Georgiae Augustae Musas poetae Tuo insudantem Te interdum deprehenderem, ne minima tum quidem animum subibat cogitatio, tempus aliquando affore, quo et ipse operis Tui, quo eximium iuvenilis diligentiae et doctrinae edidisti specimen, aliquam particulam publice essem pertractaturus. Quod ita evenire eo magis laetor, quo plenior sodalitii nostri iucundissimi animo meo inde renovatur memoria, Tuique reviviscit desiderium. In Philetae autem istis explicandis me non plane Tibi habebis adsentientem; scilicet disputandi et contradicendi amantem me esse, ex scholis Heynianis, quarum semper gratissimo animo recordabimur ambo, memineris.

Recte quidem αραιας ιξυς restituisti cum Xylandro, cui haec debetur emendatio, et cum Casaubono, quos et Cor. secutus est. Vulgata tamen lectio αραιη ιξυς et ipsa arridere Tibi videtur, quum, si metrum admitteret (de quo cf. Fried. et quos ille laudat), doctiori ratione poeta dixisset: coxa volvitur circa vestem. Interim vereor, ne nimis insolens sit eiusmodi inversio, Tragoedorum Lyricorumque audaciae forte concedenda. Salmasii vero coniectura αραιην ιξυν, metro adversante, admitti nequit. Iam vero quaeritur, quid sit κομμα μελαγκρανιον? Sane primo quidem intuitu το κομμα idoneo sensu carere videtur; quare Salmasius l. c. ista voce damnata ἁμμα rescripsit, quam Tu quidem emendationem verissimam praedicas. Sed ne nimia eam laude extuleris, temereque textui inserueris (qua in re socios habes Siebenkeesium et Coraium), vereor. Nam vulgatum κομμα optime habere poetaeque reddi debere, mox ibo stabilitum. Fac interim, praeferendum esse

το ἅμμα, non tamen equidem Tecum interpretarer vestem (neque enim vestem significat, neque Baleares vestibus iunceis usos memini; versio Xylandrina Tibi imposuisse videtur), sed potius cingulum. Ἅμμα enim est nexus, nodus, vinculum, ὁ δεσμος, ut ἅμμα φαρετρης Dionys. Perieg. v. 446, et ἅμμα τοξου v. 157, ubi cf. Eustathius. Quare ζωνην quoque significat et proprio sensu (ut in loco Luciani, Asin. cap. 9, a Fried. cit.: ἅμμα κατ᾽ ἰξυος δησας) et metaphorico cingulum virginitatis, ἅμμα κορειας et ἅμματα παρθενιης, quae ex Anthologia notavit Henr. Steph. in Thes. p. 495. Hinc factum arbitror, ut Tyrwhittus, qui et ipse cum Salmasio το κομμα aperte mendosum putat, malit legere ζωμα, in quod et ego, antequam Tyrwhitti libellum perlustrarem, sequente glossemate σχοινῳ εζωσμενου ductus dudum incideram, quodque Toupium quoque ap. Falc. et in Addend. ad Theocr. p. 393 (T. II. p. 379 ed. Heind.) voluisse, probante Iacobsio ad Anthol. Gr. T. VI. p. 394, nunc a Friedemanno edoceor. Quidni enim ζωμα Philetam scripsisse statuamus, siquidem το ἅμμα explicandum est ζωμα? Nisi forte illud exquisitius dictum, ideoque praeferendum censeas.

Sed neque ἅμμα volo, neque ζωμα; vulgatum potius κομμα poetae Tuo vindicare conabor. Saepius mirabar, quo pacto facilior lectio cesserit difficiliori et exquisitiori. Ita enim glossatores, librarii, et qui alii veterum scriptorum fuerunt corruptores, textum corrumpere non soliti sunt. At vero, ais, το κομμα non fundit sensum commodum. Ain Tu? Imo commodissimum; modo commoda το κομμα adiuvemus interpretatione. De funda Balearium triplici loquitur Geographus; unum genus erat, quod confiebat ex iunco melancrani, quam vocem, ubi explicuit, Philetae insuper confirmat auctoritate, quippe qui et ipse fundae istius ex melancrani confectae mentionem faciat. Hic orationis nexus aperte prodit, quinam illi sint, quos poeta describit. Nimirum Baleares, quorum descriptio ad misellum eorum habitum, qualem aliunde novimus, egregie quadrat. Iam igitur κομμα μελαγκρανιον nihil aliud est, quam habena sive funda melancrania. Proprie quidem poetae dicendum erat κωλον μελανκρανιον.

Καλον enim est fundae ima et cava pars, cui lapis imponitur; qua torta et extensa lapis vehementi libramine excutitur; κωλον igitur est quasi lacertus vel manus fundae, qua eadem eleganti metaphora Hebraei idem colon כף-הקלע, kaph-hakkela, volam fundae dicebant; 1 Sam. c. 25, 29. Exposita haec invenies a Bocharto, Chan. I. c. 35, p. 633, qui κωλον id Graece dici ait in his Antipatri Sidonii, Anthol. III. cap. 16: Ῥινου χερμαστηρος ευστροφα κωλα τιταινων. Idem Suidas docet, dicens: Κωλα, τα της σφενδονης ἑκατερα (imo κατωτερα) μερη. Romani dixere habenam. Liv. XXXVIII. 29, de funda Achaeorum: et est non simplicis habenae, ut Balearica aliarumque gentium funda. Sil. Ital. V. v. 193: Torta Balearis saevus habena. Stat. Theb. X: gravidas fundae Balearis habenas. Deinde ipsam fundam significat, ut in Lucan. III. 710: Balearis tortor habenae. Valer. Fl. V. 609: Saxiferae surget quibus imber habenae. Inde δικωλοι σφενδοναι sunt fundae duplici habena, quales Livius l. c. Achaeis tribuit, et ipsis Balearibus Lycophron v. 636: Τριπλαις δικωλοις σφενδοναις ὡπλισμενοι. Praeterea κωλον illud s. lorum fundae modo longius erat modo brevius; την μεν μακροκωλον, Strabo inquit, την δε βραχυκωλον, την δε μεσην. His expositis, quid sit κομμα apud Philetam, facile patet. Nempe idem est quod κωλον; nam omnino κωλον et κομμα idem fere significant. Exquisitiori tantummodo uti voluit poeta verbo, et quod metro conveniret. Ita κομμα μελαγκρανιον dictum est pro κωλον μελαγκρανιον, utrumque autem fundam significat melancraniam. Hanc explicationem quodam modo confirmant, quae ex Harpocratione (in κομμα) Fried. adnotat: τα δε κομματα εοικεν ειναι μερη τινα η της καλαμης, η των περι τον σιτον αυτον εν τῳ σταχυϊ γινομενων, η των ανθερικων. Eadem plene habere addit Phavorinum, mance Suidam et Lex. Rhet. in Anecd. Bekker. T. I. p. 272.

Ne quid tamen celem, unum est, quod disputationis huius fidem quodam modo infringat, saltem infringere videatur. Parum veri esse simile dices, Strabonem, qui (licet in hac re falsus sit; nam alteram fundam coxis circumligatam, tertiam

manu gestabant, ut Diod. Sic. refert V. c. 17. l. c. Cf. Potteri Archaeol. ex vers. Rambach. II. p. 92) omnes tres Balearium fundas capiti circumligatas fuisse scribat, poetae locum apponere voluisse, qui unam fundam coxis circumdatam exhibeat, eique, quod ipse scripserat, contradicere videatur. Verum hoc quidem; interim, ne nimis severe agas, vereor. Id solummodo vult Geographus, ut significationem usumque της μελαγκρανιας Philetae auctoritate confirmet, cetera, quae dixerit poeta, parum curans. Praeterea, utrum de Baleare an alio quodam Phileteos versus, forsan memoriter adscriptos, Strabo intellexerit, ecquis evincet? Interim, si quem istud offenderit, is ἁμμα praeferat, vel ζωμα. Huic ultima quoque parentheseos verba: ὡς σχοινιῳ εζωσμενον non adeo absona erunt, ut reiici debeant. Ego vero vulgatam et antiquam librorum Mss. lectionem retineo, qua in re et Fried. et Censor. Ephemer. Lit. Lips. 1816. No. 250 mecum concinentes nunc video.

244. Ανευ του τῃ σφενδονῃ τυχειν — Vulgata lectio est της σφενδονης, quasi funda scopus iaculandi fuisset. Quis neget, Cas. ait, legendum τῃ σφενδονῃ? Accedit Planudae auctoritas, cuius Excerpta habent τῃ σφενδονῃ, quod iure receperunt Sieb. et Coraius. Tzetzes quoque, ad Lycophr. v. 633 eandem rem enarrans, recte explicuit: πριν καταβαλειν τον αρτον. Neque aliter Flor. lib. III. c. 8. et Diod. Sic. lib. V. c. 18. Paulo post δερεις an δερρεις legatur, nihil differt; utrumque coria aut spissa stragula significat, Romanorum silistria et segestria, i. e. pelles nauticas. Hesych. Δερρις· το παχυ ὑφασμα, ᾡ εις παραπετασμα εχρωντο· ισως δε δερματινοις εχρησαντο περι των αυτων.

§. 3.

245. Εστι δε μειζον, και —— το του μηκους —
Priora verba non habent, ad quod referantur. Facile tamen intelligitur, quid maius Strabo praedicet. Scilicet Heraclei a Gadibus distantiam, το διαστημα;

quam vocem, nisi librariorum culpa ea exciderit, paulo festinantius scribendo, veluti supra memoratam Auctor omisit; quod parum credibile est. Nam quae sequuntur: *το του μηκους,* iterum nomen aliquod requirunt. Ipsam insulae longitudinem intelligit Geographus. Itaque, nisi *το του μηκους* Attica periphrasi pro simplici *το μηκος* dictum esse velimus (quemadmodum dicitur *τα της τυχης, τα των βαρβαρων, το της ποας*), simpliciter *το μηκος* erit reponendum. Ita scripsisse Strabonem, ut statuas, eo magis fortasse adduceris, quia statim ita pergit: *το* (sc. *μηκος*) *απο της δυσεως επι την ανατολην* Quodsi scripsisset *το του μηκους,* rectius perrexisset *του απο τ δ.* Melius tamen loco consuletur, si insertum fuerit *το διαστημα*; quo facto *το του μηκους* sc. *διαστημα* probabilis erit periphrasis; nam spatium longitudinis ipsa longitudo est. Ceterum vulgatae orationis inconcinnitas varianti lectioni, quam codd. Reg. Stroz. B. Vat B. apud Siebenkeesium, nec non Med. 1. Esc. Mosc. Paris. Vet. Intp. ap. Fried. exhibent, originem dedisse videtur: *μηκος δ' εστι της νησου το απο της δυσεως.* Scilicet doctus antiqui cuiusdam codicis possessor aut librarius, ista inconcinnitate offensus, ut orationem emendatiorem haberet, verba ista *μηκος δ' εστι της νησου* praeponebat, quae non sunt a Strabonis manu.

Sed etiam, quod rem ipsam attinet, de qua disputat, fortasse, si textus quidem mendo caret, dormitantem deprehendimus bonum Strabonem. Scilicet eos vituperat, qui Heraclei distantiam a Gadibus duodecim aequare milliaria dicant, quum sit maior, ac paene tanta, quanta totius insulae longitudo. Atqui duodecim milliaria sunt nonaginta sex vel, numero rotundo, centum stadia, quam insulae longitudinem paulo supra ipse docuit, e Polybio puto, ex quo eadem et Plinius hausit, IV. 36. 22: Gadis longa, ut Polybius scribit, XII millia passuum. Nec multum differt Agathem. I. c. 5: *Γαδειρων μηκος σταδιων ρη'* (108). Et revera, quicumque insulae longitudinem ita constituerunt, rem acu tetigere, ut ex Marei Berolinensis accurata delineatione patet, quae, demto urbis ipsius diametro, utpote a Strabonis computa-

tione alieno, longitudinem centum fere stadiorum exhibe. Recte igitur veteres milliariorum numerum numero laborum Herculis exaequabant, quod iniuste Strabo vituperat, ipse potius vituperandus, quod et vero et sibi ipsi contradicat. Nam si distantia fere tanta fuit (et re vera fuit), quanta insulae longitudo, sequitur, ut fere centum stadia sive duodecim milliaria confecerit, quod ipsum et Polybius et ipse Strabo (nam paulo supra: νησον εχουσιν ου πολυ μειζονα των ἑκατον σταδιων το μηκος) et cum his Plinius affirmat. Fortasse aliquis opinetur, Strabonem non μιλια sed σταδια scripsisse, ut recte quidem eos vituperet, qui tam falsam Heraclei a Gadibus distantiam perhibuerint; sed quam parum haec opinio habeat probabilitatis, nemo non videt, quum vix credibile sit, a quopiam, nedum a pluribus, adeo falso esse traditnm, vel, etiamsi re vera fuerit, in Strabonis contextu a librariis τα σταδια bis mutata esse in τα μιλια. Praeterea in Polybio quoque, quo et ipse et Plinius usus est, distantia ista non stadiis, sed milliariis definita esse videtur. Quae quum ita sint, disputatio Straboniana quid sibi velit, quave luce illustranda sit, non satis scio. Diversas fortasse diversorum auctorum computationes secutus est, quornm alii distantiam istam duodecim milliariorum sive centum stadiorum, alii maiorem perhibuerant, iamque illis, qui mythologica allusione utentes numero milliariorum quasi ludere videbantur, sui immemor fidem derogat. Nam pusillam et quasi macilentam utriusque computationis (96 et 100 vel 103 stadiorum) differentiam huic disputationi ansam praebuisse, ita ut insulae, quam supra ου πολυ μειζονα των ἑκατον σταδιων dixerat, nunc μειζον το μηκος των δωδεκα μιλιων praedicet, equidem vix persuadear.

§. 4.

246. Εν πεντηκοντα τε ἡμεραις πνιγεται το ζωον, —

Vulgatae huic omnium editt. lectioni contradicunt codd. Casauboni; nec non Vat. A. B. Stroz. et Gua-

rinus, (etiam Esc. Mosc. Med. 2. ap. Fried.) legentes εν τριακοντα. Etiam in libro Eustathii ita fuit, qui ad Dionys. Perieg. v. 458 hunc Strabonis locum afferens εν τριακοντα habet. Aberraverunt librarii in signis λ et ν. Rei ipsius licet non multum intersit, utrum triginta an quinquaginta dies habeamus, ipse tamen Strabo, utra lectio a se profecta sit, testis erit. Ille enim lib. VI. p. 269 Cas. c. 2. §. 3, hunc ipsum locum respiciens de Catanensi agro Aetnae cineribus obducto ita scribit: πιαινειν δ' επι τοσουτον τα προβατα φασιν (comesta quadam radice), ὡστε πνιγεσθαι. διοπερ εκ των ωτων αφαιρουσιν αἱμα δι' ἡμερων μ', η ν' (40 vel 50), καθαπερ τουτο και κατα την Ερυθειαν συμβαινον ειρηκαμεν. Etiam ibi in numero quidem variant codices Vat. A. Ven. A, Casauboni et Interpr. prioris, exhibentes δ', η ε' (4 vel 5); sed nugari hos codices, ipsa res clamat. Eadem de causa sanguinis missio post quinquagenos dies per se probabilior est, quam post tricenos, quorum intervallum nimis breve videtur. Quare Sieb. et Cor. πεντηκοντα praetulerunt, quos ego sequor cum cod. Reg. Paris. aliisque. Ceterum eximiam istam Erytheorum pascuorum vim alibilem Iustin. XLIV. 5 ita narrat: In hac tanta pabuli laetitia est, ut, nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. Pari efficacia erant pascua Babyloniae, Curt. V. 1, 12; nec non Hiberniae, Mel. III. cap. 6.

247. Τεκμαιρονται δ' εκ του πεπλασθαι τον μυθον —

Sensus horum verborum est: Herbam ibi admodum pingues reddere oves et boves, ex eo coniiciunt, quod fabula ficta est de armentis Geryonis. Re vera ridicule! Quasi e figmento natura herbae intelligi possit. Accedit, quod vim pascuorum istorum pinguefaciendi dudum cognitam habuerunt, antequam de causa et origine fabulae meditarentur. Ipse etiam Strabo tamquam de re nota et diu explorata loquitur. Igitur vice versa e natura herbae, quam dudum noverant (paulo ante ipse: το ευβοτον, ait, ὁρωντες), originem fabulae recte colligebant; i. e. quia herba in Ery-

thea insula armenta pinguissima reddebat, propterea fabulam de Geryonis armentis ibi collocaverunt. Hunc sensum, si quid video, exprimere Strabo voluit, ideoque scripsit: τεκμαιρονται δ' εκ τουτου πεπλασθαι, quod ipsum Coraium quoque dedisse nunc video. Idem error occurrit lib. I. p. 33 Cas. ubi: τεκμαιρέται δ' εκ του και Ὁμηρον ειπειν; sed et ibi sensus postulat εκ τουτου, ut Cor. recte dedit. Recte locum nostrum ita interpretatus est et Penzelius. At quae sequuntur:

248. Κοινη μεντοι συνῳκισται πας ὁ αιγιαλος.

Plane omisit; et profecto adeo male congruunt antecedentibus, ut vix, quid sibi velint, assequare. Nam communiter coli sive frequentari totum litus, nil attinet ad fabulam de Geryone, nec per se quidem satis clarum est. Equidem ita intelligo, fundos pratenses in Erytheae litore non privatos habuisse dominos, sed communes fuisse omnibus. Igitur ante haec verba excidisse nonnulla videntur, quae de agris Erytheae inter privatos distributis et egregie cultis (nam ibi quoque multi Gaditani habitabant, §. 5) exponebant, quibus deinde bene addi poterat: Sed communiter frequentatur et promiscue incolitur totum litus, quippe pratense. Quodsi locum ita accipere, lacunamque agnoscere nolueris, particula μεντοι vertenda tibi erit: ceterum. Quod an usus ferat, dubito. Sensus esset: Totum litus incolis sive colonis promiscue occupatum est, ob fertilitatem. Etiam Coraio locus olim corruptus visus est, emendanti και νυν.

§. 5.

249. Τοιαυτα λεγοντες, μεμνηνται —

Ita ex omnium codicum auctoritate bene scripsit Siebenkeesius, quem sequor, quum vulgo legatur duobus membris λεγεται. Μεμνηνται etc. In eiusdem vero notis ex errore λεγονται est. Vulgata tamen et ipsa bene ferri posset (et re vera Coraius fert), nisi codices alteram darent.

Paulo post pro *αποικιας*, quod omnes editi habent, codd. Casaub. Vat. A. Venet. rectius *αποικιαν*; quae lectio, quia de una tantum colonia mittenda agitur, textui restituenda erit. Ita invenio etiam apud Coraium et Guarinum.

Deinde *νομισαντες*, cui periodi ratio adversatur, iam a Casaubono e libb. suis recte mutatum in *νομισαντας*. Eadem ratio pro vulg. *ονομαζει* legere iubet *ονομαζειν*, cui insuper addicunt codices plurimi cum Guarino. Paulo post Cor. recte *τα ακρα τα ποιουντα*; sic infra §. 8.: *τας ακρας τας ποιουσας τον πορθμον*.

250. Ἡ *των* Ἐ*ξιτανων πολις*. —

Ita nunc legitur ex codd. Casaub. Stroz. B. Vat. B.; vulgata plurium codicum lectione Ἀ*ξιτανων* olim damnata a Casaubono. Attamen an prorsus damnari meruerit, est forte, quod dubitemus. Scilicet oppidi nomen varie efferebant veteres. Mela II. 6. pronuntiat Ex, Ptolemaeus Sex, II. 4., Plinius III. 3. 1. Sexifirmum sive Sexti Firmum Julium, Antonin. Itin. p. 405 Wessel. Saxetanum sive Sexitanum. Similem huius nominis varietatem reperimus apud Athen. Deipn. III. c. 33 (92) p. 121 (467), ubi pro vulg. *πολιν Σεξιτανιαν* unus optimae notae codex Ἀ*ξιτανιαν* exhibet, monente Schweigh. in Animadv. p. 348, qui utramque lectionem textui servavit, quod non probo, quum Athenaeus in eodem loco nominis varietatem vix admiserit. Ceterum Strabonianae lectionis varietas, quam in usum suum bene convertere poterat, Schweighauserum latuit. Similiter in Plin. XXXII. 53. 11 colias (thynni species) Sexitanus legitur, pro quo nonnulli libri veteres habent Saxitanus; in Martial. VII. epigr. 77.: Saxetani cauda lacerti. In Galen. de Alim. facult. III. extr. *τα Σαξατίνα* (*ταριχη*) vel potius *τα Σαξιτανά*. Haec loca satis aperte produnt, nomen illud utraque vocali, a et e, et sibilo nunc praefixo nunc demto scribi solere. Posterior tamen ratio usitatior fuisse videtur; quumque et ipse Strabo alio loco, III. p. 156 Cas. c. 4. §. 2, Ἐ*ξιτανων* scripserit, ubi nullam scripturae varietatem libri exhibent, etiam hoc loco Ἐ*ξιτανων* praeferendum existimo.

Demto vero sibilo, utrum asper spiritus an lenis rectius praefigatur, equidem non diiudico. Casaubonus neutrum posuit, Siebenkeesius lenem, asperum Coraius vult in corrigendis. Hunc certe analogia multorum nominum, quae spiritus loco sibilum adsciverunt (vid. Casaub. ad Strab. I. p. 50; adde obs. crit. ad c. 4. §. 1. nr. 154), poscere videtur; lenis vero alteri lectioni Ἀξιτανων et Ἀξιτανιαν bene respondet, neque negligenda Melae est auctoritas. Quare hunc retinui. Ceterum Exitanorum urbs utrum hodiernum sit Almunecar an Motril, viri docti disputant. Cf. Harduin. Not. et Emendat. ad Plin. III. n. 7. Mannert. I. p. 310. Denique Athenaei negligentiam simul et inscientiam impunitam dimittere nequeo, qui Strabonis verba memoriter, puto, recitans duo loca in unum contrahit, et insuper falsa loquentem inducit Strabonem, huius verba pessime pervertens. Στραβων, Deipnosophista l. c. ait, *εν τριτῳ Γεωγραφικων προς ταις Ἡρακλεους, φησι, νησοις κατα Καρχηδονα την Καινην πολιν ειναι Σεξιτανιαν, εξ ἡς και τα ταριχη επωνυμως λεγεσθαι, και αλλην Σκομβροαριαν, απο των ἁλισκομενων σκομβρων, εξ ὡν το αριστον σκευαζεσθαι γαρον.* Duo loca, quae hic in unum contracta habemus, in Strabone p. 156 Cas. extr. c. 4, §. 2. et p. 159, c. 4, §. 6. ita leguntur: Εφεξης (post Malacam et Maenacam) *δ' εστιν ἡ των Εξιτανων πολις, εξ ἡς και τα ταριχη επωνυμως λεγεται;* et: *Ειθ' ἡ του Ἡρακλεους νησος ηδη προς Καρχηδονα, ἡν καλουσι Σκομβραριαν απο των ἁλισκομενων σκομβρων, εξ ὡν το αριστον σκευαζεται γαρον.* Strabo itaque unam tantum Herculis insulam iuxta Carthaginem agnoscit, quae ob scombrorum, qui ibi capiebantur, copiam vulgo vocabatur Scombraria; et re vera una tantum fuit et nunc est, quae Carthaginis portum, cui obtenditur, egregie tuetur, hodie Islote dicta. Deinde hanc Scombrariam Sexitaniae sive Exitanorum urbi, longe a Carthagine et insula remotae, Deipnosophista in propinquo collocat. Denique aliam quandam Scombroariam, sive insulam sive urbem, a priore diversam, Straboni invito ingerit.

§. 6.

251. Δια δε τουτο τοις μεν δοκειν ... τοις δε —

Hisce verbis, postquam Gaditanorum de urbe sua condita commentum memoravit, suam ipsius orationem rursus excipit Geographus, de columnarum diverso situ diversaque apud veteres interpretatione plura additurus. Secundum allatum, ait, Gaditanorum commentum columnas alii in freto, Gadibus alii, alii etiam ultra Gades iuxta Onobam oppidum constituerunt. Hinc liquido patet, infinitivum modum δοκειν, quem omnes libri exhibent, librariorum culpa enatum et mutandum esse in δοκει; ideoque pro τοις μεν .... τοις δε nullo modo ferri posse τους μεν .... τους δε, quam lectionem Mss. Casaub. Vat. A. B. et Ven. continent. Immutata a librariis voce δοκει in δοκειν, τοις μεν facile transire potuit in τους μεν, quum Graece aeque bene dicatur εγω δοκω, ac εμοι δοκει. Ceterum mirum videtur, secundam Tyriorum expeditionem longe ulterius processisse quam tertiam. Sed quum terminus accurate definiatur, et distantia 1500 stadiorum apprime quadret, nihil mutandum censeo. Alioqui quingenta tantum stadia ultra Gades processisse et in Junonis promontorio et insula substitisse suspicarer. Et ecce! Gossellinum in vers. Gall. (et in Recherch. T. IV. p. 4. Fried.) idem dubium movere et ulterius persequi nunc video.

252. Την Καλπην και την Αβυλυκα,

Recte ita omnes editi; sed libri Casaub. Reg. Vat. A. B. falso τον Αβυλυκα. Nam est ἡ Αβυλυξ, quam insolitam formam ex Eratosthene Auctor transtulit. Varie enim efferebatur a Graecis barbara ista vox, e lingua Punica oriunda, montemque altum significante, ut vult Bochart. in Chan. II. c. 9., praeeunte Festo Avieno, Or. marit. v. 345. Plerisque Abyla est sive Abila, etiam Straboni lib. XVII. p. 827. Cas. c. 3, §. 6.: ορος, ονομα Αβυλη. Nonnullis etiam audit Αβυλυκη, ut Scy-

laci, tit. Carthago, ubi pro corrupto ακρα Απανιλιη Gronovius optime restituit ακρα Αβυλυκη Hesychius: Αβυλυκη, στηλη εν Λιβυῃ. Quin Eustathius ad Dionys. Perieg. v. 67. et Luc. Ampelius c. 7. Abennain et Abinnam nominant. Ceterum et Eustathius, locum Strabonis exscribens, in codice suo non τον, sed την Αβυλυκα habuisse videtur, dum scribit: την Αβυλην η Αβυλυκα.

253. Εν τῳ Μεταγωνιῳ, Νομαδικῳ εθνει —

Ita in omnibus, quos inspexi, editis scriptum est litera N maiuscula, quasi esset gens Numidica, quam expresserunt etiam Interpretes Guarinus et Xylander, et tacite probavit Casaubonus. Scilicet το Μεταγωνιον sive ἡ Μεταγωνιτις (τα Μεταγωνια, αἱ πολεις των Μεταγωνιτων, Polyb. III. 33. cf. Scylax, tit. Carthago; Schweigh. ad Polyb. l. c. Heeren. Ideen, II. p. 64.) pars erat septemtrionalis Mauretaniae Tingitanae, freto Gaditano obiecta. Vid. Strab. XVII. p. 827 Cas. c. 3. §. 6. Ptol. IV. c. 1.: Tenent autem provinciam iuxta fretum Metagonitae." Hi igitur longe remoti a Numidia, non fuerunt gens Numidica, sed nomadica sive pastoritia, cuiusmodi gentes Strabo et alibi (ut Lib XI. p. 511 Cas. c. 7. §. 2.) εθνη νομαδικα vocat. Tale εθνος νομαδικον fuerunt etiam Metagonii; quare νομαδικον scribendum litera minuscula. Vocem recte ceperunt Penzelius et Seidel. Fragm. Eratosth. p. 137. Sed in eadem voce saepissime peccatum, quia et Numidae et populi nomadici Graecis promiscue vocantur Νομαδες, qua de re supra pauca diximus ad c. 4. §. 2.; observ. nr. 157. Similiter in Strab. XVII. p. 824. c. 3. §. 1. pro Νομαδικαις scribendum νομαδικαις. Denique, ne quem in errorem inducat, castigandus Plinius est, qui lib. V. 2. 3. Numidiam et Metagonitin terram Graecis eandem fuisse scribit. Sed multos e Veteribus et Recentioribus in eo errasse deprehendi, Vossius ait ad Mel. I. 7. p. 581, quod nomadas pro Numidis, et nomadicum pro Numidico acceperint.

254. Ουδ' Αβυλυκα ορος,

Ita recte scripsit Siebenkeesius; vulgo ουδ' Αβυλυκα, και ορος. Sed delenda erat interpunctio et copula, quae

et sensum impedit, nec in codicibus reperitur, teste Siebenkeesio. Dudum uncis incluserat illud και Casaubonus. Ceterum locum non intellexere interpretes. Sensus est: Artemidorus affert quidem et nominat (λεγει) Junonis insulam, sed aliam quandam intelligit ab ista, quam pro Columna habent, diversam; praeterea neque Abylycem montem neque Metagonios meminit. Coraius vero, quid sibi voluerit legendo: αλλην δ᾽ ου φησιν ειναι τινα, equidem non perspicio; vulgatum αλλην δε φησιν recte stat. Admodum credibile est, Artemidorum Junonis insulam aut cum ipso Junonis promontorio (de quo cf. Mel. lib. II. c. 6.), hodierno Cabo de Trafalgar, permiscuisse, aut iuxta illud, in quo et Junonis templum erat, Junonis insulam posuisse. Ptol. II. c. 4.: το ακρωτηριον, αφ᾽ οὗ ὁ πορθμος, εν ᾧ ναος Ἡρας. Similiter Marcianus. Sed laborat locus noster ab interpunctione; scilicet ante verba ουδ᾽ Αβυλυκα ορος pro commate plenius interpungendum colo; non enim a propiori φησιν ista pendent, sed a remotiori λεγει. — Obiter hic alium locum corrigere iuvat, simillimo laborantem mendo. Lib. XVII. p. 827 Cas. c. 3. §. 6. ita vulgo legitur: Καλειται δε και ακρα μεγαλη πλησιον του ποταμου, και Μεταγωνιον τοπος ανυδρος και λυπρος. Deleto και et transposito commate ita lege: Καλειται δε και ακρα μεγαλη πλησιον του ποταμου Μεταγωνιον, τοπος ανυδρος και λυπρος. Paulo post Auctor addit: εστι δε το Μεταγωνιον κατα νεαν που Καρχηδονα εν τη περαια. Ptolemaeo, IV. c. 1. audit Μεταγωνιτις ακρα, iuxta ostium fluminis Molochath. Paulo infra post και τας Πλαγκτας exciderat δε, quod cum Coraio Auctori reddo. Scilicet και — δε nil nisi transitum facit, i. e. porro. Omisso vero δε, duplex και foret et — et, quod parum convenit.

255. Ψευσμα Φοινικικον.

Vulgo legi Φοινικον, adnotat Casaubonus; sicque Ven. Ald. Hopp. Quae lectio fere ubique a viris doctis an merito damnetur, et hoc etiam loco a Casaubono, nullam codicum varietatem afferente, an merito damnata sit, scire velim. Bochartus το Φοινικὸν plerumque mutat in Φοινικικὸν. Idem fecit, approbante Schweigh. Musgravius in loco Appiani, Iber. c. 2., ubi vulgo

legitur φοινικῶς; Schneiderus vero vocibus dubiae fidei adnumerat. Mirum tamen, cur et quomodo in veteribus libris syllaba κι adeo saepe evanuerit. Praeterea et φοινικὸς et φοινικῶς, licet απο του φοίνικος parum recte derivata videantur, Graecis tamen in usu fuisse, aliquot indicant exempla in Steph. Thes. III. p. 181, quibus plura forte addi poterunt, ut Suidae Φοινικὸν ψεῦδος, quod ipsum ipsi Straboniano ψευσματι Φοινικῷ maiorem fidem parat. Addo Friedemanni observationem: forma Φοινικὸς, etsi repudiata a plerisque commentatoribus, saepius tamen recurrit. Vid. Spohn. ad Niceph. Blemm. p. 31. not. 133. Schneider. ad Xenoph. Anab. T. II. p. 16. b." Scilicet φοινικὸς, φοινίκιος, φοινίκινος, φοινικεῖος, φοινικήϊος, φινικικὸς, haec omnia idem valent. Duplici tamen hae voces occurrunt significatione, nunc Phoenicius nunc palmeus sonantes (φοίνιξ enim et Phoenicem at palmam denotat), ita ut interdum, ad Νομαδων instar, qui et Numidae sunt et nomades, utrum significent, incertum sit. Sic apud Athenaeum, I. p. 29. c. 23 (53) tribus diversis locis legitur οινος φοινίκιος, φοινικικὸς et φοινίκινος, quem Schweigh. in animadv. ad h. l. palmeum intelligit, interpres autem latinus Phoenicium. Hic quoque Casaubonus vocem φοινίκινον perperam, ut equidem sentio, mutavit in φοινικικὸν, nimirum ut esset vinum Phoenicium; quasi φοινίκινος οινος illud esse non posset. Eodem modo apud Athen. XIV. p. 642. c. 12 (50) vulgo legitur Φοινικοῦ βικος, pro quo melius legi Φοινικικοῦ Casaubonus monuit, et Schweighauserus Φοινικίνου (ita voluisse videtur; nam textus vitiose habet Φοινινίκου) expressit, ut lib. I. Φοινικίνου βικος legitur. Similiter elephantiasis Galeno dicitur et φοινικίνη νοσος et φοινικίη, i. e. ipso explicante Galeno, ἡ κατα Φοινίκην πλεοναζουσα. Itaque φοινικικὸς licet multo usitatius fuerit, etiam φοινικὸς, ubi codicum auctoritate defenditur, retineri posse arbitror. Nonnulla quoque composita ex φοινικὸς, quatenus significabat Phoenicius (nam saepius etiam cum synonimo φοινίκεος s. φοινικοῦς de puniceo dicebatur colore, e. gr. Xen. Ages. 2. 7.), significationem istam servaverunt, ut Φοινικόστολα εγχεα Pind. Nem. Θ, v. 67. et Φοινικογενὴς παις, Eurip.

Cret. v. 3; sed φοινικόπεδον χευμα Aeschyl. Prom. sol. apud Strab. I. p. 33 Cas. puniceum aequor est. Quae quum ita sint, utrum in Strabone το φοινικὸν an φοινικικὸν praeferendum sit, aliquamdiu dubitavi. Interim quum το φοινικικὸν inde a Casaubono semel receptum sit, imprimis vero Strabonis usum respiciens, in quo saepius φοινικικὸς (cf. supra ad p. 156 Cas. c. 4. §. 2. nr. 158.), φοινικὸς vero, quantum scio, numquam (nisi fortasse loco modo citato, ubi corruptum Φοινίκης commodissime mutatur in Φοινική τε) legitur, etiam h. l. ψευσμὰ Φοινικικὸν praetuli. Simile de Punica astutia proverbium Polybius habet, lib. III. c. 78.: Εχρησατο και Φοινικικῷ στρατηγηματι. Neque Platonicum illud (de Rep. III. extr.) Φοινικικόν τι alienum est.

§. 7.

256. *Ουδετερως παρα λογον.* —

Horum verborum etsi sensum, iuncturam tamen non assequor. Interpretes ne sensum quidem assecuti videntur; Guarinus enim perplexe et obscure vertit, reliqui omiserunt. Causam illa indicant, quae impedit, quo minus de legatis a Phoenicibus missis in neutram partem certi aliquid affirmari possit. Causam esse ait, quod neutra disputatio absurda et rationibus destituta sit. Sed nullo modo praecedentibus iungi se verba ista patiuntur. Quod neque Casaubonum fugit, qui correxit: ουδετερως παρα λογον ον, simulque bene addidit interrogationis signum. Sed ne sic quidem multum proficitur, quum participium ον per appositionem ad pronomen τι relatum causam non exprimat; praeterea rectius diceretur: ουδετερον — ον. Genitivis potius absolutis opus est, quos habebimus legendo: ουδετερου παρα λογου οντος, i. e. quum neutrum rationi contradicat sive absurdum sit. Ultimam vocem a dormitante librario omissam puto, qui duplicatis similibus syllabis ον οντος το confundebatur; οντος vero semel omisso, ουδετερου ferri non amplius poterat, et ab alio quodam mutabatur in ουδετερως. Si quis malit: ουδετερου παραλόγου οντος, nihil contra-

dico. Similiter infra §. 8.: ἡττον ευλογον. Coraii emendatio: ὅ τι αν τις — — ουδετερως παραλογον i. e. quodcumque aliquis affirmaverit in utramque partem, neutra ratione absurdum est, ferri quidem illa potest, nescio tamen quid habeat perplexi, neque Auctoris mentem satis exprimit. Toup. ap. Falc. (Fried.) legit αποστολων — ουδετερων sc. οντων, quod non capio.

257. Επεγραψαν επι μεν τον —

MSS. Reg. Vat. A. B. et aliquot Casaub. επιγραψαντες, quos Coraius sequitur. Stroz. A. Venet. et
p.171 reliqui Casaub. επεγραψαν τε. Utrumque vulgatae praefero, quae commoda iunctura caret. Ceterum celebratae huius columnae et inscriptionis Strabo iterum meminit lib. IX. p. 392. c. 1. §. 6. A Theseo olim erecta erat (Plutarch. Thes. c. 25., ubi prorsus eadem legitur inscriptio), ab Heraclidis vero destructa est, ut Strabo tradit, IX. p. 393. §. 7.

§. 8.

258. Ὁροις χρησασθαι, χειροκμητοις τισι βωμοις —

Qui ad orationis nexum curatius attenderit, is vulgatam horum verborum distinctionem vitiosam, sensumque inde luxatum translationis Xylandrinae deprehendet. Scilicet etiam in freto Gaditano (κἀνταυθα), ut aliis locis, priscos homines terminis humana manu exstructis usos fuisse ait, quorum dein plura affert genera. Quare ita distinguendum: ὅροις χρησασθαι χειροκμητοις τισι, βωμοις, η πυργοις, etc. Ita optime pridem expressit Guarinus; ed. Bas. Hopp. comma saltem omisit post χρησασθαι, non autem habet post τισι. Coraius nihil mutavit. — Supra recentiores editi vitio typographico habent ὁρασθηναι pro ὁρaθηναι. Deinde pro των τοπων τινων cum Cor. lego τοπων τινων. Nam loca indefinita non admittunt articulum definientem.

§. 8.

259. Πυλας Γαδειριτας —

Reposui Γαδειριδας, quod recte dudum habuerunt edd. antiquiores, etiam Casauboniana prior. Γαδειριτας nihil est, nisi sphalma typographicum edit. Cas. posterioris, ex hac per Almelovenianam et Siebenk. propagatum. Manifestissimum rei argumentum dat locus plane geminus p. 170 Cas. §. 6: ὡς Πινδαρος καλει πυλας Γαδειριδας, ubi omnes editi recte habent Γαδειριδας. Praeterea Γαδειρῖται Gadium sunt incolae, Gaditani, quos h. l. alienos infra legemus p. 174. §. 11; cf. obs. crit. ad c. 4. §. 3. nr. 163. Paulo ante pro vulgato εκφαινοντα οἱον ex codd. Cas. et Venet. Siebenkeesius recepit εμφαινοντα οἱαν. Utrum εκφαινοντα an εμφ. legas, parum interest; sed οἱον ferri non poterat; nam praecedit ἐξοχην τοιαυτην. Neque aliter Eustath. ad Dionys. v. 65: Εμφαινουσι γαρ και αυτα ἐξοχην τινα, οἱαν και αἱ στηλαι και αἱ στηλιδες.

Paulo post εν τῳ Ἡρακλειῳ τῳ ενθαδε merito recepit Sieb. ex verissima Tyrwhitti emendatione, quam bene comprobant cod. Reg. Parisiensis, Mosc. et Par. 1. Omnes antiquiores perperam exhibent το ενθαδε; cod. Bembi τα ενθαδε. Utrumque sensu caret, ut Casaubonum silentio praeteriisse mirer. p.172

260. Ἡν φησιν —

Quam tradit. — Quisnam? An forte Posidonius, cuius hac de re iudicium supra p. 170 Cas. §. 6. exposuit Geographus? At vero tam longa disputatione interposita, huius nomen taceri, certe est durissimum. Praeterea non solus Posidonius, sed plures alii, de istis in templo Gaditano exstructis columnis tradiderant, ut vel ipsius Geographi verba l. c. commonstrant: ταυτας λεγεσθαι φασιν. Itaque et hoc loco Strabonem scripsisse ἡν φασιν; quam tradunt, equidem vix dubito. Saepius has formas invicem mutari notissimum est, et Tzschuckius adnotavit ad lib. XVI. p. 765 Cas. cap. 3. §. 2. ubi bis vulgo legitur φησι pro

φασιν; neque ille textum ibi corrigere dubitavit, nec hic Coraius, praeeunte dudum Ital. Interprete.

§. 9.

261. Ποτιμον δε ειναι· —

Vulgatam hanc editorum lectionem etiam in scriptis sat multis obviam, codd. Casaub. Reg. Med. 1. Mosc. Esc. non agnoscunt, qui nil nisi ποτιμον exhibent. Etiam Epit. κρηνην ὑδατος ποτιμου. Et recte quidem, quum verba ποτιμον δε ειναι praecedentibus iungi nequeant. Itaque istorum codicum auctoritatem secutus ea reieci. Si quis retinere maluerit, is addito pronomine parenthesi includat: (ποτιμον δε τουτ᾽ ειναι). Coraium vulgatam sequi miror. Locus simillimus est lib. IV. p. 191 Cas. c. 2. §. 1: θερμα ποτιμωτατου ὑδατος.

262. Καλυφθεισης μεν αυτης —

Ita fere cum omnibus veteribus libris, nec non Epitomes auctore, esse legendum, et Casaubonus adnotat et Siebenkeesius, qui vulgatum κατακλειφθεισης, sensu quidem etsi parum differat, iure reiecerunt. Oppositum enim γυμνωθεισης, quod mox sequitur, omne dubium eximit. — Paulo infra των τοιουτων εξοδων vulgo legitur, ubi tamen, quales exitus dicantur, nondum enucleavi. Nunc tandem Coraium otiosum istud τοιουτων loco movisse video. Quidni et ego moveam?

263. Αυθωρον εκλειπειν —

Verissimam hanc lectionem Siebenk. reposuit, addicentibus omnibus Mss. Vulgo legitur αυθορον (quae vox nihili est) και εκλειπειν, dudum Xylandro et Casaubono coniectantibus αυθωρει, i. e. ea ipsa hora. Sed αυθωρον, quod Hesychius explicat συντομον, i. e. brevi tempore, statim, idem valet, servans analogiam του αυθημερον, quod legitur lib. IV. p. 198 Cas. c. 4. §. 6. Suid. Ἀυθωρον. αυτη τη ὡρᾳ. Neque copula inter verba ista ferenda est. Mox pro την ὑδρειαν εχον Xylander recte restituit τ. ὑ. ανεχον, i. e. aquationem sus-

tinens, aquationi sufficiens. Omittebat librarius syllabam αν ob praecedentem eandem, quae incuria innumera Straboni vitia peperit. Nihilo minus Coraius vulgatam praetulit; interim an εχειν pro ανεχειν bene dicatur, incertus sum. Deinde cum Ald. et Bas. Hopp. lego ὑδρευομενων, pro quo Xyl. utrobique habet ὑδρευμενων, quod Sieb. male servavit; Cas. vero ὑδρευμένον.

264. Πεπιστευσθαι καινως —

i. e. nove creditum esse, prorsus novum dicendi genus! Quod a novissimo inter nostrates editore servatum esse, eo magis miror, quum ipse veram lectionem repererit. Nimirum κοινως Strabonem scripsisse, ut supra §. 4: κοινῃ συνωκισται, ipsa res clamat. Sensus est: quia in repletionis tempus saepe incidat defluxus maris, inde communiter sive omnino ab incolis creditam esse istam αντιπαθειαν. Vanam Casauboni emendationem κενως, temere, mea lexica ne agnoscunt quidem. Fraudi fuit vetus Interpres, qui vulgatum καινως πεπιστευσθαι male expresserat: inaniter arbitrati sunt. Interim Coraium quoque illud amplecti nunc video. Paulo post την αντιπαθειαν optime Xylander restituit, probantibus Casaubono et Siebenkeesio, flagitante sensu. Antea legebatur την αντιπλοιαν, i. e. navigationem vento vel flumine adverso, quae mirum quantum ab h. l. abhorret. Neque enim metaphorico sensu facile accipias, ut ἡ ἀντιπλοια, adversa navigatio, omnino contrarias vices designet, quemadmodum in Polybiano isto (lib. VI. c. 10): κατα τον της αντιπλοιας λογον, si tamen et ibi vera lectio.

265. Εν τοις παραδοξοις θρυλλουμενην —

Vulgata omnium editorum lectio est: εν τοις παραδοξως θρυλλουμενοις. Sed codices Casauboni et Italici apud Siebenkeesium omnes (nec non Med. 1. 2. Esc. ap. Fried.) et Guarinus priorem istam exhibent, quam vel ipsius praestantia, neglecta adeo codicum fide, satis commendaret. Sunt enim res ipsae mirabiles, non mirabiliter narratae, quales Aristotelis, Antigoni Carystii, Archelai, Callimachi, Apollonii Dyscoli alio-

rumque libri, περι θαυμασιων ακουσματων, vel simpliciter Θαυμασια s. Θαυμαστα, aut Παραδοξα inscripti, fuerunt. Merito itaque vulgatam reiecit novissimus noster Strabonis editor; neque Coraius discrepat.

266. Τα προ της πολεως —

Lego τα μεν προ τ. π. quibus continuo respondent τα δ' εντος. Dudum ita fuit in edd. antiquis.

§. 10.

p.173 267. Παρεκχυσιν εις τα πλαγια —

Hic quoque vulgata, quae hactenus editos obsidebat, παραχυσιν inquam, nullo modo ferenda erat. Ut enim παραχυειν affundere, ita παραχυσις, quam vocem Stephani et Scapulae lexica ne agnoscunt quidem, Scotti vero Appendix ex hoc uno loco habet, affusionem significat, non autem, quam huius loci natura requirit, effusionem vel diffusionem in obliquas partes. Praeterea quum Epitomes et omnium veterum librorum Casaub. et Siebenkeesii, etiam Par. 3. Med. 1. 2. Eton. Esc. Mosc. Ven. ap. Fried. accedat auctoritas, inter certissimas ista referenda est emendatio. Etiam de fluviorum effusionibus hac voce Strabo saepius utitur, ut XVI. pag. 740 Cas. cap. 1. §. 10: την παρεκχυσιν κωλυειν; et §. 12. p. 741: αἱ του Ευφρατου παρεκχυσεις; nec non p. 760. c. 2. §. 33: ὁ παρεκχεομενος Νειλος.

268. Ειναι αν τινα —

Infinitivus adiecto αν interdum pro optativo ponitur, ut ειναι αν dictum sit pro ειη αν, vel εικος ειναι, quod Coraius dedit, nulla urgente necessitate, quum εικος illud ex antecedentibus facile subaudiatur.

269. Εχει την εκρυσιν —

Parum abfuit, quin servarem vulgatam omnium fere codicum et editt. lectionem εκχεῖ την εκρυσιν, i. e. effluxum effundunt, in qua quid iure reprehendatur, non video. Nam εκχεειν την εκρυσιν, licet paulo inso-

lentius et pleniore quasi ore, non absurde tamen dici pro simpliciore isto εχειν την εκρυσιν, quis est qui neget? A codicum igitur auctoritate pendere debet litis diremtio. Atqui horum ne unum quidem, excepta Epitome, cui sane gravissimam codicis auctoritatem deberi non diffiteor, a vulgato εκχεῖ discedentem neque Casaubonus habet neque Siebenkeesius. Itaque an recte fecerim, qui unius Epitomes auctoritatem secutus vulgata lectione neglecta Casauboni emendationem, si quidem ita appellare fas est, praetulerim, ipse me nescire fateor. Interim et Cor. habet εχει.

Eo vehementius contradixerim Casaubono, paulo infra το της θαλαττης βαθος, ut vulgo recte legitur, postponenti τω παθει, quod eadem ei Epitome suggerebat, quae habet το της θαλαττης παθος. Quod ipsum etsi sensum praebeat satis idoneum (scil. aestus marini intelligendi, in quorum consensum aquae istae subterraneae trahi dicuntur), vulgatum tamen βαθος unice verum pronuntio, quum non solum veterum librorum fide nitatur, sed faciliorem quoque exhibeat sensum, et antecedentibus εις την επιφανειαν oppositum longe sit convenientius.

270. Και συνεξαιροντα μεν εκεινην —

Hunc locum, obscuriorem illum quidem, pessime intellexit Casaubonus; quare cave, mutationi textus, quam invita Minerva proposuit, fidem habeas. Sensum hunc esse putat: Atque illae quidem aquae cum mari inflantur seseque extollunt, adeo ut exundent, quando fit illa veluti spiritus emissio. Huic ergo sensui verba adaptans legit: και συνεξαιρονται μεν εκεινη, i. e. et simul elevantur illae aquae cum mari. At vero mirum quantum ab Athenodori et Strabonis sententia aberravit Casaubonus. Non enim elevantur istae aquae subterraneae cum mari, ita ut illae exundent, sed elevant istae potius mare secumque extollunt, ita ut mare turgescat et exundet, quando fit illa veluti spiritus emissio. Quae portentosa opinio quantum a naturae legibus viribusque abhorreat, nobis hic non erit curae; ipsi curae esto Athenodoro. Itaque optime habet vulgaris codicum et editorum lectio:

συνεξαιροντα μεν εκεινην — — — απολειπει ῥειθρον. Praeterea ante το οικειον desideraretur copula, quam inserere oblitus est. Unus cod. Stroz. (etiam Ven. ap. Fried.) adiuvare quodammodo videtur Casaubonum, exhibens συνεξαιρονται; sed cave, pro passivo habeas; nam servat ille εκεινην. Attamen orationis nexus requirit participium. Ceterum olim Gronovium quoque dissentientem habuit Casaubonus, ut ex Siebenkeesii notula apparet, in animadv. ad Strabonem p. 172. Praeterea cf. Fried. ad h. l. Mox pro γενηται nonnulli γινηται; modo ne cum Breq. et Gronov. γινεται. Denique Cor. cum Gronov. post παλιν inseruit δ', citra necessitatem, et απολειπειν dedit et αναχωρειν, quum vulgata verior sit.

§. 11.

271. Ἡμερα — ἡ του ἡλιου περιφορα μετρειται —

Varians lectio libri Henr. Stephani apud Casaub. et Stroz. est: ἡμερα και νυξ τη του ἡλιου περιφορᾳ μετρειται. Ita etiam Par. 3 et Mosc. ap. Fried. Utriusque lectionis sensus fere idem est; interim, quum in conversione solis cardo rei versetur, a quo deinde in aestu marino nonnulla pendeant, praeterea vero solis conversio die et nocte definiri rectius dicatur, quam vice versa dies et nox conversione solis, vulgatam aptiorem et veriorem habeo. Coraius tamen alteram sequitur.

272. Αποσχοι αν —

Imo αποσχῃ αν, ut antea et postea semper coniunctivo utitur. Neque Coraium hoc latuit. Simile vitium supra emendavi c. 4. §. 17. nr. 222. Paulo infra τας ενιαυσιας ferri nequit; rectus enim est ὁ και ἡ ενιαυσιος. Igitur saltem ενιαυσιους, quod in ed. Bas. Hopperi invenio. Sed praefero ενιαυσιαιας, quia supra dixit την δ' ενιαυσιαιαν. Idem fecisse Coraium video. — Deinde genitivus των ἡμερησιων χρονων και των νυκτερινων bene habet, pendens ab omisso δια. Exempla suggerit Matthiae gr. Gr. §. 378, 2 et 3. Quare Co-

raiana mutatione (τον χρονον etc.) non opus est. Multo minus vero opus erat, verba illa: πως οιονται, quae egregie conveniunt, mutare in πως οἷον τε, fortasse ex lib. IV. p. 193 Cas. c. 3. §. 3, ubi legitur: πως ουν οἷον τε.

273. Τους Γαδειριτας ταυτα μεν μη ἱκανους γενεσθαι — p.174

Non multum abest, quin Casaubonus loco sanitatem restituerit, qui in omnibus ante Sieb. editis negationis particula destitutus est, quam orationis sensus necessario poscit, quamque adeo nonnulli codices apud Siebenkeesium (Mss. Reg. Venet. Stroz. A.) exhibent; alii (Vat. A. B. Stroz. B.) η ἱκανους γενεσθαι legentes, negationis saltem dimidium servaverunt. Sed non minus erat necesse, inter verba τους Γαδειριτας cum cod. Reg. interponere δε, quam particulam oppositio efflagitat; eadem vero post ισακις, ubi vulgo male legitur (reponendum potius erit μεν, si qua opus est), sensum impedit. Itaque genuina lectio fuit τους δε Γ., quam librarii invertendo mutaverunt in δε, τους. Haec virum magnum latuerunt, qui praeterea η τους Γαδειριτας legendo, quid sibi voluerit, non assequor. Neque magis assequor, cur Coraius verba continuo praecedentia: και ισακις δε prorsus abire iusserit, nisi forte quia desunt in Paris. 3, quem plerumque sequitur. Ceterum loci, qui certe inter difficiliores est, sensum recte cepit et exposuit. Scilicet contra Posidonium Strabo argumentatur vel argutatur potius (illi enim, si huius loci esset, patrocinari equidem non detrectarem), quatenus Gaditanos in putei observatione satis simplices et stupidos depingat. Docet itaque, absurdum esse, fidem Gaditanis hac in re abrogare, quibus in aliis rebus observatu longe difficilioribus Posidonius crediderit. An dicet Posidonius, his observandis, quae quotidie eveniunt, non fuisse idoneos Gaditanos; ea autem, quae semel intra annum contingunt, recte observasse? Interrogatio, ut Casauboni verbis pergam, ισοδυναμει τη αποφασει: non sane hoc dicet Posidonius. Ex hoc orationis nexu apparet, verba illa: τας δ᾽ ενιαυσιους — τηρησαι, quae in tribus

codd. Ital. desunt, iure locum suum tueri, quippe antecedentibus bene opposita. Ista vero, quae sequuntur: τα καθ' ἡμεραν γινομενα e superioribus a mala manu repetita, et sensu plane destituta, delere non dubitavi, nuncque a Coraio deleta video. Denique illa: αλλα μην, ὁτι γε eo pertinent, ut doceat, Posidonium in re difficiliori, scilicet in annuis maris vicibus observandis, quas a Gaditanis acceperat, Gaditanorum fidem esse secutum. Pro γενεσθαι τας μειωσεις Cor. bene dedit γινεσθαι; non enim agitur de re praeterita. — Paulo supra vulgata lectio erat: πλεοναζειν και χρονῳ. Rectius e codd. Med. Reg. Paris. et Stroz. cum Guar. et Coraio legitur: πλ. δε και χρονῳ etc.

§. 12.

274. Και ανωμαλιαν — και ὁμαλοτητα —

Ab hac omnium, ni fallor, editorum lectione recedunt codd. Cas. Reg. et nonnulli Italici apud Sieb. exhibentes ὁμαλιαν τινα εν τουτοις και ανωμαλιαν vel ανωμαλοτητα, sensu quidem prorsus eodem; nihil tamen mutandum existimat Casaubonus; nec sane est, quod a vulgata, ceterorum codd. fide munita, recedamus. Neque Coraius recessit.

275. Των δ' αλλων ἑκαστον — ειναι την ανωμαλιαν. —

Pro ultima voce codd. Casauboni et Italici apud Sieb. (alii insuper ap. Fried.) praeter unum Vat. A. legunt την αναλογιαν, i. e. proportionem, aequabilitatem; quae etiamsi et ipsa ferri possit (quippe quum, quo propius signis solstitialibus luna accedat, eo maior sit aestuum reciprocatio, minor autem, quo longius absit), vulgatam tamen ανωμαλιαν, faciliorem intellectu et antecedenti ανωμαλιᾳ magis congruam, cum Cor. tueor et retineo, adversante tamen Friedemanno. Analogia vero h. l. in ipsa anomalia modo maiori modo minori cernitur.

Sed apertum praeterea huic loco mendum adhaeret, quod nulli editorum observatum esse miror. Ἑκαστον

(ζωδιον) ειναι την ανωμαλιαν, quis est qui intelligat? Sed perfacilis est mendi emendatio. Ut enim ante εν τοις ισημερινοις ζωδιοις etc. deinde εν τοις τροπικοις ανωμαλιαν ειναι dixit Auctor, ita nunc dicendum erat: των δ' αλλων εν ἑκαστῳ — ειναι την ανωμαλιαν, i. e. eandem inaequalitatem in reliquis signis pro ratione appropinquationis locum habere, ut recte sensum expressit Xylander, etsi in Graecis non ita erat. Coraius ut verum loci sensum exprimat, valde vereor; legens enim των δ' αλλων ἑκαστου sc. ζωδιου signorum potius quam aestuum inaequalitatem exprimit, quod non vult Geographus.

276. Των δ' επι θαλαττῃ πεδιων — παρασχειν αν την εμφασιν, — p.175

Locus profecto impeditissimus, nulli interpretum et editorum recte intellectus, quique diu me exercuit. Versionem Xylandrinam, magis etiam prioris Interpretis, sensu carentem Lector deprehendet; Penzelianam vero non carentem quidem, sed a vero longe aberrantem. Quid? quod ipsi Casaubono, cuius ingenii acumen desperatissima loca expedire et illustrare solet, adeo confusa haec omnia videntur atque mendosa, ut diutius de hoc loco sibi cogitandum esse candide fateatur. Quod autem addit, legere se το δε της κρηπιδος (nam contextus particulam δε non agnoscit), se quoque a recta loci intelligentia longe abesse, satis aperte prodit. Vult enim novam istis verbis inire sententiam, quod rerum verborumque nexus minime patitur. Pessima scilicet totus locus in omnibus, quos inspicere licuit, editis distinctione laborat, ideoque ab omnibus interpretibus aut falso aut omnino non intellectus; et vice versa, quia non intellectus, ideo pessime distinctus.

Ante omnia videndum, quo ducat rerum nexus. Strabo ubi, quam Ilipae Posidonius insolitam Baetis exundationem aliquando observaverat, narravit, ea subiungit, quae, ut videtur, post quindecim dies Gadibus super eosdem aestus marinos eidem comperta fuerunt. Circa ipsam urbem Gaditanam (haec Posidonii erit sententia) aestuum marinorum incrementa immanemque vim minus in oculos incurrere et deprehendi

ait, quam in vicinis campis maritimis. Qui dum usque ad triginta vel adeo quinquaginta stadia versus interiora aquis tegerentur, crepidines et Heraclei et aggeris, portui Gaditano obiecti, vix usque ad decem cubitorum alitudinem aquis occultatae fuerunt. Iam vero illi aestus, quos Posidonius Gadibus vidit, solitam altitudinem non superaverunt. Itaque si quis, vastiores aestus ad insolitam altitudinem nonnumquam excrescentes respiciens, duplum addat, tum demum, et fortasse (Casauboni suspicio, ουδ᾽ οὑτω proponentis, si vera est) ne tum quidem iustam effingi imaginem exundationis, qua interdum obducantur campi maritimi.

Haec est, nisi totum Oblivionis fluvium exhausimus, sententiarum series et expositio, qua probata haec erit loci distinctio. Post επτακοσιους σταδιους plena opus est interpunctio; nam quae sequuntur: Των δ᾽ επι θαλαττῃ πεδιων novam incipiunt orationem, ea exponentem, quae Gadibus Posidonius comperit et observavit. Post απολαμβανεσθαι comma requiritur, quum το της κρηπιδος ὑψος faciant apodosin. Id enim vult Geographus: Quum ora maritima vel usque ad triginta (al. quinquaginta) stadia aquis esset submersa, in crepidine templi ne ad decem quidem cubitorum altitudinem aquae excreverant. Pessime itaque a Casaubono, cui temere adstipulatur Siebenkeesius, legi το δε της κρηπιδος ὑψος, neminem puto latebit, neque Coraium latuit, qui illud δε recte omisit. Ceterum et Paetz. et Bak. ad Posid. p. 107, nec non eius censorem Ienensem ap. Fried. in h. l. interpretatione valde aberrare Lector deprehendet.

Mox autem Casaubono: ουδ᾽ οὑτω παρασχειν corrigenti parum aberat, quin adstipularer, quum ipsa φρασις ita legendum esse evincere videatur. Nam εαν προσθῃ δε τις και το διπλασιον τουτου, etiamsi vero aliquis vel duplum addat huius altitudinis, ne tum quidem hic praebebit plenam iustamque ingentis exundationis speciem. Quanquam nimis sic augeri, imo incredibilem et ridiculam fieri hanc ipsam speciem, quam de aestuum in campestria irrumpentium vastitate exhibeat Posidonius, lubenter concedo; nam duplo addito certe satis magna erit exundationis εμφασις. Quare in vulgata acquiescere malui; illa vero εαν και το διπλασιον non

verto; etiamsi quis vel duplum addat, sed: si quis insuper (και, nobis noch) duplum addat. Attamen Coraius Casaubonianum illud ουδ᾽ οὕτως praetulit. Totum vero locum plane eadem, quam modo exposui, ratione accepit et distinxit.

Ceterum pro και επι λ σταδιους codd. Cas. Vat. A. B. et Venet. ap. Sieb. exhibent και επι ν σταδιους, vel usque quinquaginta stadia; quae lectio, quum numerum amplificet, loci sententiae optime convenit, qnumque optimorum librorum fide gaudeat, vulgatae omnino anteponenda est. Ista vero:

277. της τε του νεω του εν τῳ Ἡρακλειῳ —

Egregium utique articulorum, quos dicimus, agmen exhibent! Nec minus facetum, quod templum habemus in templo! Interim ne hoc quidem lectionis portentum virorum doctorum, neque Coraii quidem, animos movit. Triplex tamen loci emendatio in promtu est; aut simpliciter της τε του νεω, deletis ceteris, quae forte scioli glossatoris stylo debentur; aut της τε του Ἡρακλειου; aut denique της τε του νεω τοῦ Ἡρακλεους. Una quum eligenda esset, secundam praetuli. Paulo infra τας γενομενας παραυξησεις cum Coraio mutavi in γινομενας. Nam eadem incrementa Auctoris aetate non desierant, imo et nunc sunt. Idem vitium supra notavi §. 11. nr. 273.

Eorum gratia, qui Siebenkeesiana utuntur editione, id quoque monebo, verba και της του χωματος optime habere, quum praecedentibus της τε του νεω vel Ἡρακλειου bene respondeant. Siebenkeesius cur velit και το (ὑψος) του χωματος, equidem non assequor; nulla enim, cur vulgata mutetur, adest causa, quum ad ista verba το ὑψος vel sponte cogitandum sit.

§. 13.

278. Τὸ δὲ του Ιβηρος —

Rectius legetur Τόδε του Ιβηρος — Illud novi de Ibero Posidonius narrat. Deinde pro πλημμυρει legendum est πλημμυρειν; non enim Strabo ipse affirmat, sed refert

tantum, quod Posidonius affirmavit. Quare recte sequitur: αιτιαν δ' ειναι, et συνεκβαλλεσθαι. Utramque emendationem in ed. Cor. desidero. Lacum vero, quem Iberus perfluere dicitur, equidem ignoro; quare ventis et pluviis hoc adscribendum esse Coraius putat ad vers. Gall. p. 511.

279. Πολλακις δε φυλλα ξιφοειδη, πηχυαια το μηκος —

Igitur non omnia, sed multa tantum arboris folia gladii formam habebant? Quod vix cuiquam erit probabile, quum unius arboris vel etiam plurium et omnium adeo eiusdem speciei arborum folia eandem formam referre soleant. Folia potius frequenter cubitalia describit Geographus. Quare comma saltem tollendum erit post ξιφοειδη, ut πολλακις et πηχυαια iungi queant; nisi potius (nam admodum difficilis ista iunctura est) verbis transpositis ita scripserit; φυλλα δε ξιφοειδη, πολλακις πηχυαια. Ita saltem haud male verterunt Xylander et Penzelius. In edit. Bas. Hopp. comma est post φυλλα, quo sensus prorsus deletur. Sed verissima nunc Coraii videtur emendatio: εις εδαφος πολλακις, και φυλλα ξιφοειδη, πηχυαια το μηκος, quam praefero et amplector.

280. χαμαιζηλος ἡ βοτανη. —

Herba ista non definitur; igitur aut deleto articulo χ. 'βοτανη (ita Coraius), aut mutato legendum χαμαιζηλος τις βοτανη.

§. 14.

281. Ὁμοιοι ταις τραγικαις Ποιναις.

Verissimam hanc lectionem omni iure contextui denique reddidit Siebenkeesius, addicentibus plurimis optimae notae libris. Vulgata omnium editorum lectio hucusque erat: ὁμοιοι τοις τραγοις ταις ὑπηναις, i. e. barbis hircinis praediti. Quae lectio ex quibus libris provenerit, scire cupiam; nam admodum faceta est et ridicula lectio, nec minus, ut Casaubono videtur, hominibus istis iniuriosa! Nihilo minus, Casaubonum hircinis istis barbis Cassiteridum incolas privare velle, aegre

fert Penzelius, ad Fabrettum provocans de columna Traiani, p. 19, quem librum non ad manum habeo. Interim Fabrettus quicquid habeat et quomodocumque vulgatam defendat, hircinam hominum istorum barbam tondendam esse, vel sola suadet librorum auctoritas. Dudum enim Casaubonus in suis reperit ταις τραγικαις Πηναις, levi ultimae vocis aberratione. Nuper vero ex codd. Italicis Vat. A. B. Stroz. A. B. et Veneto veram istam lectionem Siebenk. protulit, quam praeter cod. Reg. Paris. 3. Esc. Mosc. Guarin. ap. Fried. insuper egregie confirmat codex, quo usus est Eustathius, qui ad Dionys. Perieg. v. 563 hunc Strabonis locum adscribens haec ipsa verba habet: ὁμοιοι ταις τραγικαις Ποιναις, ὡς φασιν οἱ παλαιοι. Tacitus in Annal. XIV. c. 30 de Monae (Anglesey) insulae incolis: intercursantibus feminis, quae in modum Furiarum, veste ferali, crinibus deiectis, faces praeferebant. Propert. II. 16. 29: Tunc me vel tragicae vexetis Erinnyes. Similiter Livius, VII. c. 17, Faliscorum sacerdotibus insueta specie militem Romanum turbantibus, incessum furialem tribuit, et apud Florum, I. c. 12, Fidenates, furiarum speciem imitantes, furiali modo procedere dicuntur. Neque των Ποινῶν usus Graecis insolitus, loco των Ερινυων, ut Poenas Romani loco Furiarum ponunt. Pausan. in Atticis p. 42 edit. Wech. a 1583, c. 43: Απολλων — — πεμπει Ποινην· — — Κοροιβος φονευει την Ποινην. Idem in Lacon. p. 87. c. 15: ὁτι τας τιμωριας οἱ παλαιοι των ανθρωπων ωνομαζον Ποινας. Plutarch. Oth. c. 1: αλλα τινος η Ποινης, η παλαμναιου δαιμονος. Synes. epist. 44: ὁπερ εισιν εν ταις πολιτειαις οἱ δημιοι, χειρες των νομων, την αυτην αἱ Ποιναι χρειαν τῃ φυσει του κοσμου παρεχονται. Hesychius quoque Ποιναις εφικταις explicat Ερινυσι. Etiam Suidam Lector inspiciat, nec non Vossium in Theol. Gent. VIII. c. 18.

Ceterum persimilem adscribam Iberorum descriptionem, quae legitur apud Athen. Deipn. XII. c. 5, p. 523 (c. 25, p. 444 ed. Schweigh.): Ιβηρες δε, καιτοι εν τραγικαις στολαις και ποικιλαις προϊοντες, και χιτωσι ποδηρεσι χρωμενοι, ουδεν εμποδιζονται της προς τους πολεμους ρωμης. Quinam intelligendi sint Iberi, scire Schweighauserus cupit. Iidem, puto, qui Straboni pag. 151

Cas. c. 2. §. 14: στολατοι η τογατοι dicuntur, et p. 167. c. 4. §. 20: τογατοι εις τον Ιταλικον τυπον μετακειμενοι, εν τη τηβεννικη εσθητι, quales prae ceteris fuerunt Celtiberi. Fortassis Baleares quoque huc vocandi sunt, qui (p. 168 Cas. c. 5. §. 2) olim longis induti sisyrnis in pugnam discincti exibant.

282. Δημοσιαν την τιμην —

Nonnulli codd. habent δημοσιᾳ, i. e. εκ δημοσιου, publico sumtu, quod a Coraio receptum video. Interim vulgata lectio idem valet; nam δημοσια τιμη pretium mercium est, ex aerario publico redditum.

283. Της διειργουσης εις την Βρεταννικην. —

Διειργειν εις την χωραν mira et nova videtur dictio. Merito itaque Coraius το εις, ex male repetita syllaba praecedente ortum, delevit, quem haud cunctanter sequor. Displicet vero, quam Fried. affert, correctio Wakefield. in Sylv. crit. T. III. p. 191: διαῤῥεουσης εις τ. Βρ. Ceterum Strabo dilatatum fretum illud intelligit, quod Britanniam a boreali Galliae ora dirimit. — Et haec quidem hactenus de Strabonis Iberia.

Conspectus

variantis lectionis Coraianae, cum ea compositae, quam ipse exhibui in Strabonis Iberia.

Caput primum.

§. 1. *κατα μεν μηκος.* Coraius dedit *κατα μηκος μεν.*
την ἑῶαν. Cor. *την ἑῴαν.* Ita semper h. v. exhibet.
§. 2. *δυοιν ηπειροιν.* Cor. *δυειν ηπ.*
ακρον προπεπτωκος. Cor. *ακρον και πρ.* ut vulgo leg.
ου δεικνυσθαι· Cor. *μη δ.*
ουτ᾽ αλλο τι των θεων. Cor. *ουτ᾽ αλλου του* (i. e. *τινὸς*) *θεων.*
στεΦεσθαι. Cor. *στρεφεσθαι,* ut vulgo leg.
§. 3. *ὡς δὶ ὑάλων.* Cor. *ὡς διαυγῶν*, i. e. quippe pellucidorum vaporum. Vulg. *ὡς δὶ αυλῶν*, quasi per tubos.
§. 4. Τουρδετανιαν et Τουρδετανους. Cor. Τουρδητανιαν et Τουρδητανους. Ita semper per *η.*
εχουσι τα συγγραμματα. Cor. omisso articulo *εχ. συγγρ.*
ουδε γαρ. Cor. *ου δε γαρ.*
απο των εκβολων του Ανα κατα της παραλιας της του Ωκεανου μεχρι Στηλων. — Cor. vulgatam tenet: *α. τ. ε. μεχρι της παραλιας της του Ανα και μεχρι Στηλων*, inserto tamen *και* post Ανα.
§. 5. *ουδεν διαφερουσα.* Cor. *ουθεν δ.*
§. 6. *και ανκαβρασιν.* Cor. *και Ναβρισσαν,* ex c. 2. §. 5.
ὥστε δεῖ Cor. *ὥστ᾽ ἐδει.*
Λοῦκεμ δουβίαν. Cor. uno verbo *Λουκεμδουβίαν.*

Caput secundum.

§. 1. *και οἱ εξω του Ανα Κελτικοι, πολλοι τε των προσχωρων.* Cor. vulg. tenens: *και οἱ εξω του Ανα, και οἱ πολλοι τ. π.*

κατα συμμαχιας. Cor. *κατα συμμαχιαν.*

§. 2. *Μετα δε ταυτας Ιταλικα και Ιλιπα επι τῳ Βαιτι.* Cor. comma posuit post *Ιταλικα,* quasi non et ipsa Italica prope Baetin sita fuisset. Deinde *Βαιτει* semper dedit pro *Βαιτι.*

Αστιγις, Ατεγουα, Τουκις και Οὔλια. Cor. *Αστιγα, Ατετουα, Τουκκις και Ιουλία.*

Κονιστῶργις. Cor. *Κονίστοργις.*

ὑπερκειμενην. Cor. *ὑπερκειμενη.*

§. 3. *επι Κασταλωνα.* Cor. *ε. Κασταλωνος.*

ουκ εστι πλωϊμον. Cor. *ουκ ετι πλ.*

τας Κοτινους. Cor. ut vulg. *τας Κωτινας.*

και αυτου μεταλλειας. Cor. *κ. τουτου μετ.*

τη Καρπιτανιᾳ. Cor. *τη Καρπητανιᾳ*; ita semper per *η.*

§. 4. *τη μεσογειᾳ.* Cor. *τη μεσογαιᾳ.*

εκτεταμεναι. Cor. *εκτεταμενοις* ut vulg.

επι διακοσιους σταδιους. Cor. *ε. οκτακοσιους στ.* vulgo *οκτω.*

τη Φυσει των ποτ. Cor. *τη ῥυσει τ. π.*

αντιπνεουσης. Cor. *αντιπνεουσαν.* Vulg. *α — αι.*

τοις ναυτιλοις. Cor. *τοις ναυκληριοις.*

προ των ποταμων και προ των αναχυσεων. Cor. *προ των ποταμων, προ των α.*

τοτε δε, ει και απελειφθη. Cor. *τοτε δε και απεληφθη.*

§. 5. *Νεβρισσα.* Cor. *Ναβρισσα.*

και Οσονοβα. Cor. *και Ονοβα,* additis tamen signis *νοθειας.*

προς αλληλους. Cor. *και προς αλληλους.*

και διειργομενας ὑπο. Cor. haec verba delevit.

κατᾶραι. Cor. *κατάραι.*

διενεχθεις. Cor. *παρενεχθεις.*

και πολλα. Cor. *και τἀλλα,* ut vulg.

§. 6. *κοκκος πολυς.* Cor. *κ. πολλη,* ut vulg.

ναυπηγια συνίσταται. Cor. *ν. συνιστᾶσιν,* ut vulg.

ἡ των οψων. Cor. *ἡ εκ τ. ο.* ut vulg.

νυν δε και ερια, καλλιω των Κοραξικων. Cor. vulgat. tenens: νυν δε ερια μαλλον των Κοραξων.

οἱ Σαλακιηται. Cor. οἱ Σαλτιηται, ut vulg.

αφθονος — αφθονια. Cor. απονος — αφθονια, quod valde displicet. Vulgatum αφθονος bene habet, ex noto Atticismo dictum, ut στολον εστελλε ap. Chariton. IV. c. 7. ubi cf. D'Orvill.

των γαιωρυχων. Cor. των γεωρυχων.

λεβηριδας. Cor. λεβοριδας.

θηριων δε. Cor. ὡρῶν δε.

§. 7. δια την γυμνασιαν. Cor. δια την λιμνασιαν, i. e. propter aquam stagnantem. Bene hanc coniecturam defendit et explicat in not. ad vers. Gall. (Similiter Toup. ap. Falc. coniecit ὑγρασιαν. Fried.)

οἱ γογγροι δε. Cor. Και οἱ γογγροι δε.

ὑπο της αλεας. Cor. απο της αλλης.

εξαιρομενη δε εκ θαμνου, ταπεινης ἡττον. Cor. εξαιρομενη δε θαμνου ταπεινης ἡττον.

ακμην βαλανου πληρη. Cor. ακμην πληρη, ut vulg.

επιλιπουσης. Cor. επιλειπουσης.

αρα θαλαττιον ὑν. Cor. παρα τἀλλα πιον.

§. 8. Ουτε γαρ χρυσος, ουτ' αργυρος. Cor. Ου γαρ χρυσος, ουκ αργυρος.

γαρ ὁ χρυσος και ευλυτος. Cor. γαρ ὁ τυπος και λιπωδης.

εξ οὑ τεκμαιρονται. Cor. εξ ὡν τεκμ. ut vulg.

§. 9. ταμειον, Cor. ταμιειον. Paulo ante Cor. ῥητορειας pro ῥητοριας.

ὑποπλουτος εστι. Cor. ὑ. ην, ut vulg.

και προς, τους. Cor. και τους.

τουτων προς τους Αττικους. Cor. τουτοις και ποτε τοις Αττικοις.

Βρεττανικων. Cor. Βρετανικων.

αργυριῳ την γην, καττιτερῳ, και χρυσιῳ λευκῳ. Cor. αργυρῳ τ. γ. καττιτερῳ, χρυσῳ λευκῳ.

αργυρομιγες. Cor. αργυρομιγης.

§. 10. καθαρον το αργυριον. Cor. κ. τον αργυρον.

Ενθα δε και εν Κασταλωνι. Cor. Εν δε Κασταλωνι.

§. 11. του Γηρύονος. Cor. του Γηρυόνου.

Γεννηθεν. Cor. Διοτι γεννηθειη, ut vulgo, tamquam verba Strabonis.

αντιπεραν. Cor. αντιπερας. Dein post Ταρτησσου reti-

net ποταμου; pro πηγας habet παγας, et pro απειρονος απειρονας.

Δυοιν. Cor. Δυειν.

Καλεισθαι φασιν. Haec verba deleri vult Cor.

§. 12. εσχατη ηκουεν αυτη. Cor. εσχατην ηκουεν αυτην, ut vulg.

εικαζοι ουν τις. Cor. εικαζοι αν τις, ut vulg.

§. 13. στρατιά. Cor. στρατεία; ita saepius.

ηρμενοι. Των τε οικων. Cor. pessima servata distinctione: ηρμενοι, των τε οικων.

εληλυθοτων, συνεβη τοις. Cor. iterum male: εληλυθοτων. Συνεβη ουν τοις.

και Οδυσσεως. Cor. και Μενεσθεως.

αποικησειν. Cor. αποικισειν, ut vulg.

ουδε ποτ᾽. Cor. ουτε ποτ᾽. Deinde pro λιγυ πνειοντας Cor. uno verbo λιγυπνειοντας.

και ᾅδην. Cor. και τον ᾅδην.

τας Γηρύονος βοας. Cor. τ. Γηρυόνου β. Pro στρατιὰν iterum στρατείαν.

§. 14. Αμαλθιης. Cor. Αμαλθειης, adversante metro. Pro ετη: ετεα.

ἢ, ὡς ειρηκε Πολυβιος, δια την συγγενειαν. Cor. ὡς ειρηκε Πολυβιος, και δια τ. σ.

η Τογατοι. Haec verba pro insititiis Cor. habet.

Caput tertium.

§. 1. σταδιοι εισι διακοσιοι. Cor. σταδιοι διακοσιοι δεκα, quasi quis adhibita decempeda dimensus esset.

Ενταυθα και. Cor. Ενταυθα δε και.

ὑδρευονται, και ειπον Λακκαια. Cor. ἱδρυνται Ολισιπων και Λακεια.

κατα Λαγκοβριγα πολιν, εν κειμενην. Cor. κατα Μορωνα πολιν, κειμενην.

του ποταμου πλευροις. Cor. τ. π. πλημμυραις.

οστρεων πληρης. Cor. οστρακεών πληρης, ex nonnullis codd.

§. 2. Ουακκαιοι. Cor. κ duplicato. Ita semper.

ὁ Δουρείας. Cor. ὁ Δούριος. Ita semper.

Κασταλὼν κ. Ωρια. Cor. Καίτουλον κ. Ωρ.

§. 3. και τοις Βηρωσιν. Cor. και τοις Ιβηρσιν, quae tamen verba asteriscis notavit.

μηκος τρισχιλιων σταδιων. Cor. ut vulg. μυριων και τρισχιλιων σταδιων. Interim verba μυριων και pro spuriis habet.

αιτιασθαι ταυτην την παραλιαν και την Μαυρουσιαν. Cor. την παραλιαν την κατα την Μαυρουσιαν.

ανταποδιδουσας εις τἀναντια. Της Ιβηριας γαρ. Cor. vulgatam servans: ανταποδιδουσας τῃ Ιβηριᾳ· τἀναντια γαρ.

μεγαλοις διαῤῥειται και μικροις. Cor. διαῤῥειται μεγαλοις τε και μικροις.

Νομαντιαν. Cor. Νουμαντιαν, ut vulg.

ὁ μετ᾽ αυτον Ναιβις. Cor. ὁ μετ᾽ αυτον Βαινις, ut vulg.

αυτον ῥειν. Cor. και αυτον ῥειν, ut vulg.

§. 4. οἱ πλεοντες χρωμενοι. Cor. οἱ πλ. και χρ.

της ανοιας ταυτης. Cor. τ. ανομιας τ.

Παραξιφις προς τουτῳ. Cor. Π. προς τουτοις, ut vulg.

§. 6. 'και βαθειαν. Cor. και omisso, βαθειαν.

τον δε γενομενον. Cor. τον δε γινομενον. Fortasse γεννωμενον.

χορευοντες, αλλα και. Cor. vocem αλλα pro spuria habens: χορευοντες και.

αναμιξ ανδρι προσαντιλαμβανομεναι. Cor. αναμιξ αντιπροσλαμβανομεναι.

οἱ γε λιαν. Cor. οἱ λιαν.

τοις μονοξυλοις, ἁ δη σπανια. Cor. τα μονοξυλα ἁ δη σπανια, ita tamen, ut voculas ἁ δη spurias habeat.

§. 7. ὡσπερ εφην. Cor. ὧν περ εφην. Dein pro λεγω τους Cor. λεγω δε τους.

Αστουρους. Cor. Ἀστυρας.

ὁσοις δ᾽ ἡττον. Cor. ὁσοις δε μη.

της των τοπων. Cor. της απο των τοπων.

νυν μαλιστα. Cor. vocem μαλιστα asteriscis notavit.

οἱ τε Κόνκανοι. Cor. οἱ τε Κωνιακοὶ.

πολιν Ιουλιοβριγα. Cor. πλην Τουϊσοι, ut vulg.

Caput quartum.

§. 1. το δε της παραλιας ετι πλειον και δισχιλιοις — Cor. τα δε τ. π. επι πλειον δισχιλιοις.

εχειν Ηδητανους. Cor. ε. Αιλητανους, c. vulg.

χιλιους και ἑξακοσιους. Cor. χιλιοι και ἑξακοσιοι, c. vulg.

οικειν δε Ηδητανων. Cor. ο. δ. Αιλητανων.

§. 2. τοις — Νομασι. Cor. τοις — συμπασι.

των Ἐξιτανων. Cor. των Ἑξιτανων. At cap. 5, §. 5 et ipse Cor. habet Ἐξιτανων cum leni.

και αὐτή. Cor. και αὗτη.

§. 3. Οὗτος δη φησιν. Cor. Οὗτος δε φησιν, ut vulg.

Ωψικελλου κτισμα. Cor. Οκελλα κτ.

§. 4. πραγματειας και μαινομενους. Cor. πρ. μαιν. eiecto και.

Και τοι. Cor. Καιτοι.

§. 5. Τουτο δε αυθαδες. Cor. Τουτο δε το αυθαδες.

την δυναστειαν πολυν etc. Cor. την δυναστειαν, πολυν etc.

§. 6. των αργυρειων μεταλλοις. Cor. των αργυριων μ.

κειμενων τοπων. Cor. ὑπερκειμενων τοπων, ut vulg.

μικρῳ δε διεχει της Καρχηδονος ἧττον, ἠ του Ιβηρος. Cor. μικρον δε διεχει τ. Κ. και του Ιβηρος.

καλειται δε και Διανιον. Cor. vulg. tenet: καλειται δε Διανιον.

σταδιων τετταρακοντα. Cor. σταδιων τετρακοσιων, ut vulg.

προς Καρχηδονα. Cor. προς Καρχηδονι.

και τεσσαρας. Cor. και τετταρας.

§. 7. Ἁι τε Γυμνησιαι νησοι. Cor. vocem νησοι asteriscis notavit; fortasse quia mox sequitur αξιολογοι νησοι.

§. 8. ὁσον τετταρακοντα. Cor. ὁ τετρακοσιους.

Ωκουν οἱ Εμποριται. Cor. Ωκουν ουν οἱ Ε.

παλαια πολις. Cor. Παλαιαπολις.

διπλουν δε τουτο. Cor. διπλουν δε τουτον.

Τινες δε και επι των. Cor. Τινα δε και των, sensu fere eodem.

§. 9. απο των αναθηματων. Cor. απο τε των α.

Ταρακῶνος. Cor. Ταράκωνος. Ita semper habet a recto Ταράκων.

των εμποριων. Cor. τ. εμπορείων. Ita fere plerumque.

συναπτειν τον. Cor. συναπτειν εις τον; interim mediam vocem νοθειας signis donavit.

§. 10. μεχρις Αστουρων. Cor. μ. Αστυρων.

τελευτην δ᾽ επι. Cor. τελευτῶν δ᾽ επι.

§. 11. Οσκαν. Cor. Ιλεοσκαν, ut vulg.

Καλάγουρι. Cor. Καλαγούρει.

Δια τουτων δε των χωριων. Cor. Δια τ. δ. των ορῶν, ut vulgo leg.

δε του Πομπηΐου. Cor. *δε ὁ του Π.*

Κεῤῥητανοι, το πλεον. Cor. ita distinguit: *Κεῤῥητανοι το πλεον*, etc.

§. 12. *Ὑπερβάλλοντι.* Cor. *Ὑπερβαλόντι*; non male.

τραχυ ...... και ποταμοκλυστα. Cor. lacunam non sentiens vulgatam tenet: *τραχυ και ποταμοκλυστον.*

ὁ Δουρίας. Cor. *ὁ Δούριος.*

την Σεγουντιαν. Cor. *την Σεργουντιαν*, ut vulg.

τοις Κονκανοις. Cor. *τοις Κονισκοις*, ut vulg.

Βαρδουλους. Cor. *Βαρδυαλους*, ut vulg.

και Σιδητανων. Cor. *και Διττανων*, ut vulg.

δ' ἡ Ιδουβεδα. Cor. *δε Ιδουβεδα*, ut vulg.

§. 13. *σταδιους επι οκτακοσιους.* Cor. *σταδιους περι οκτ.*

§. 14. (*τοιουτοι δ' οἱ πολλοι των Ιβηρων.*) Cor. his verbis novam sententiam incipit, quam equidem voce *αγριοι* incepi.

χωραν Σιδητανοι. Cor. commate male interposito: *χωραν, Σιδ.*

σχεδον τι. Cor. *σχεδον δε τι.* Interim voc. *δε* pro spuria habet.

§. 15. *εισι δε κυκνοι.* Cor. *ορνεις δε, κυκνοι.*

εις την βαφην. Cor. *εις βαφην.*

και αυτων ἡ εκτος. Cor. *και των εκτος.*

§. 16. *Ἡ μεν παρωκεανῖτις.* Cor. *Ἡ μεντοι π.* male.

ζῆν. Cor. *ζῆν.* Ita semper.

§. 17. *Ου μονον δε τα* etc. Cor. antecedentibus haec iungens ita: *προσβοῤῥων, ου μονον τα* etc.

προς ανδριαν. Cor. *π. ανδρειαν.*

δε των δεδεμενων. Cor. *δε, δεδεμενων.*

αὑται τικτουσι και λουουσι. Cor. *αὑται και λουουσι.*

κ' αυτος επιπονως. Cor. *Αυτος δ' επ.*

τον νηπιον. Cor. *το νηπιον.*

και μυοθηρωντες προς μετρον αποδειχθεν διεσωζοντο μολις. Cor. *και* deleto: *μυοθηρουντας π. μ. αποδειχθεν· και διεσωζοντο μολις.*

Ακουϊτανιας. Cor. *Ακυϊτανιας.* Ita semper, ni fallor.

επαιωνιζον. Cor. *επαιανιζον.*

το εν δειπνῳ. Cor. *το εν εθει*, ut vulg.

ὑπερ αὐτων. Cor. *ὑφ' ἑαυτων.*

§. 18. *τεσσαρα μερη.* Cor. *μερη τετταρα.*

Ὁσα δε και βαρβαρα. Cor. vocem *και* asteriscis notavit.

ου πολυ μην. Cor. ut vulgo: ου πολυ μεν; sed ultimam vocem suspectam habet.

§. 19. καλεισθαι φασι πασαν. Cor. καλεισθαι πασαν, ut vulg.

οἱ δε προτερον Ιβηριαν μονην. Cor. οἱ δ' Ιβηριαν μονην.

§. 20. Ἡ λοιπη. Cor. Ἡ δε λοιπη.

του Δουριου. Cor. του Δουρειου.

τα προσαρκτια ορη. Cor. τα π. μερη.

απωτερω — Νοϊγα. Cor. αποτερω — Νοίγα.

Caput quintum.

§ 1. Πιτυουσας. Cor. Πιτυουσσας. Ita semper.

ἁς καλουσι και Βαλεαριδας. Cor. (καλουσι δε και Β.) in parenthesi.

Εβουσος. Cor. Εβυσος. Ita semper.

Οφιουσα. Cor. Οφιουσσα. Ita semper.

§. 2. ὁς τις. Cor. ὁστις.

ἠ πεπυρακτωμενον. Cor. και πεπυρ.

Verba inde a σχοινου ειδος usque ad μελαγκρανιῳ Cor. in marginem relegavit, et vulgata quidem lectione retenta.

δερεις. Cor. δερῥεις.

§. 3. Γαδειτανους. Cor. Γαδειρανους.

εστι δε μειζον το διαστημα. Cor. εστι δε μειζον, ut vulg.

§. 4. αποσχαζει. Cor. αποσχαζοι.

§. 5. τοιαυτα λεγοντες. Cor. τοιαυτα λεγεται,

Γαδιτανοι. Cor. Γαδειρανοι.

ὁντινα γενεσθαι. Cor. ὁν γενεσθαι.

Ἡρακλεους στρατιᾶς. Cor. Ἡ. στρατείας.

§. 6. τοις μεν δοκει. Cor. τ. μ. δοκειν, ut vulg.

νομαδικῳ εθνει. Cor. Νομαδικῳ εθνει, ut sit gens Numidica.

αλλην δε φησιν. Cor. αλλην δ' ου φησιν.

§. 7. τι αν τις. Cor. ὅ τι αν τις.

ουδετερου παρα λογον οντος; Cor. ουδετερως παραλογον.

επεγραψαν τε. Cor. επιγραψαντες.

Ινδικης στρατιᾶς. Cor. Ινδ. στρατείας.

§. 8. ὁροις χρησασθαι χειροκμητοις τισι, βωμοις, η πυργοις, etc. Cor. ita interpungit: ὁ. χρησασθαι, χειροκμητοις τισι βωμοις, η π. etc.

εκλειποντων δε. Cor. εκλιποντων δε.

εκφαινοντα. Cor. *εμφαινοντα*, ut vulg.

§. 9. *ὑδωρ ποτιμον.* Cor. *ὑδωρ. ποτιμον δε ειναι*, ut vulg.

εξοδων οικειων. Cor. *οικειων εξοδων.*

ανθωρον εκλειπειν. Cor. *α. και εκλ.*

ανεχον. Cor. *εχον*, ut vulg.

μειουμενον μεν τοι. Cor. *μ. μεντοι.*

κοινως. Cor. *κενως* c. Cas.

§. 10. Ε*ι μεν τοι.* Cor. Ε*ι μεντοι.*

ειναι αν τινα. Cor. *εικος ειναι τινα.*

απολειπει ῥειθρον. Cor. *απολειπειν ῥ.*

παλιν αναχωρει. Cor. *παλιν δ᾽ αναχωρειν.*

§. 11. Ἡ*μερᾳ και νυκτι ἡ περιφορα μετρειται.* Cor. Ἡ*μερα και νυξ τῃ περιφορᾳ μετρειται* ex Mss. Henr. Steph. et Stroz.

ποτε μεν — ποτε δε. Cor. *τοτε μεν — τοτε δε.*

αναχωρειν το πελαγος. Cor. male: *αναχωρειν εις το πελαγος.*

ειαρινης. Cor. *εαρινης.*

των ἡμερησιων χρονων και των νυκτερινων. Cor. *τον ἡμερησιον χρονον και τον νυκτερινον·*

πως οἴονται τό. Cor. *πως οἷόν τε.*

η και ισακις μεν, τους δε Γαδειριτας. Cor. prioribus omissis: *η τους Γαδειριτας.*

§. 12. *των δ᾽ αλλων εν ἑκαστῳ.* Cor. *των δ᾽ αλλων ἑκαστον.*

επι πεντηκοντα σταδιους. Cor. *επι τριακοντα σταδιους.*

της κρηπῖδος. Cor. *της κρηπίδος.*

της τε του Ἡ*ρακλειου.* Cor. *της τε του νεω του εν τῳ* Ἡ*ρακλειῳ*, ut vulg. leg.

κἀν προσθῇ. Cor. *κἂν προσθῇ.*

οὑτω παρασχειν. Cor. *ουδ᾽ οὑτω παρασχειν* ex coniect. Casaub.

§. 13. Τ*όδε του* Ι*βηρος.* Cor. Τ*ὸ δὲ του* Ι*β.* ut vulg.

πληημμυρειν γαρ. Cor. *πλημμυρει γαρ*, ut vulg.

φερει δ᾽ ουδεν δενδρον. Cor. *φερει δ᾽ ου δενδρον.*

τις βοτανὴ. Cor. *βοτανη*; vulgo *ἡ βοτανη.*

§. 14. *δημοσιαν την τιμην.* Cor. *δημοσιᾳ την τιμην*, ex cod. Veneto.


LIPSIAE,

IMPRESSIT CHRISTIANUS ADOLPHUS DEUTRICH.

G Groskurd, Christoph Gottlieb
87 Observationes criticae in
S95G7 Strabonis Iberiam sive Rerum
geographicarum

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 13 05 15 12 003 8